DE ARTE VASCVLARIA ANTIQVISSIMA QVAESTIONES

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT ATQVE AMPLISSIMO IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA PHILOSOPHORVM ORDINI TRADITAS VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS DIE XXII MENSIS IVLI ANNI MDCCCLXXXXVI HORA XI PVBLICE DEFENDET

GEORGIVS KARO
[redacted]

ADVERSARII ERVNT

THOMAS DE WAHL DR. PHIL.
FRIDERICVS DE BISSING DR. PHIL.
GVALTERVS VSENER STVD. PHIL.

BONNAE
TYPIS CAROLI GEORGI VNIV. TYPOGR.
MDCCCLXXXXVI

FRANCISCO BVECHELER

GEORGIO LOESCHCKE

HERMANNO VSENER

Quae hic propono non plenum atque absolutum opus, sed prima tantum eaque imperfecta esse temptamina primus ipse profiteor. etenim cum iam dudum inter uasa Graeca saec. VII. grauissimi momenti esse ea perspexissem, quibus uariis rationibus atrum colorem figuli indidissent, et inter se omnia affinitate quadam coniuncta esse, quam adcuratissime originem eorum atque historiam inuestigandam mihi proposui. cum uero plurima eaque clarissima musea, Romana imprimis atque Parisina, ipsi mihi perscrutari fas non fuerit, cumque uasa de quibus hic agetur pleraque spreta atque neglecta iaceant neque in catalogos omnia recepta sint, neque plenos singularum classium indices neque certum de unaquaque quaestione iudicium proferre possum: quorum tamen utrumque mox retractata atque aucta dissertatione praestaturus sum. interim exoptatum restat officium, ut gratias agam uiris doctis qui thensauris quibus praepositi sunt benigne me admiserunt atque ut uasa nonnulla publici iuris facerem concesserunt: imprimis Adolfo Furtwaengler Monacensi et Ludouico Milani Florentino, qui beneuole studiis meis fauerunt, deinde Carolo Baumann Mannhemiensi, Carolo Franci Oruietano, Petro Nardi-Dei Clusino, Erico Pernice Berolinensi, Carolo Sittl Virceburgensi, Eduardo Wagner Caroliruhensi, necnon Fainae comiti Oruietano, qui quanta liberalitate egregium suum museum curiosis examinandum praebeat quicunque illud perlustrauit expertus est.

I. De uasis uetustissimis quae lineis incisis ornata sunt.

Artis figulinae Graecae quae quidem nouimus exempla antiquissima ea ratione ficta sunt, ut uasa e terra rudi manibus formata primum igni fumoso imponerentur, deinde, cum fuligine totam cretam permanante nigrum colorem duxissent, igni aperto coquerentur. quo factum est, ut prout igni uehementiori aut debiliori per longius aut breuius temporis spatium uasa exponerentur, aut colorem illum nigrum retinerent, aut, sicut in lateribus coquendis accidit, rubra fierent, uel utriusque coloris,

flamma ab altera tantum parte urgente. quod cum optime figuli nouissent, pro sua quisque libidine nigra uel rubra uasa uel bicolora fingebant: Troiani nigra praetulisse uidentur, rubra Cyprii et gens illa antiquissima certo non Aegyptiae originis, cuius uasa permulta Fl. Petrie in sepulcris prope Thebas sitis atque XI. dynastiae tribuendis effodit. quae uasa quamquam formis a Troianis Cypriisque plerumque diuersa sunt, exempla tamen exstant, quae a Phrygiis Al. Koertei opera erutis uix distinxeris. toto igitur mari Aegaeo inter tricesimum et uicesimum circiter a. Chr. saeculum eandem artem figulinam, singulis in regionibus haud ita multum uariatam, in usu fuisse uidemus.

Atque inde ab antiquissimis temporibus uasa et adcurate expolire [1] et ornamentis geometricis incisis, lineis rectis atque tortis, circulis uel semicirculis eodem centro descriptis decorare figuli solebant, neque eo contenti mox lineas rudi stilo in cretam antequam coqueretur incisas coloribus rubro et albo explere coeperunt: cuius artis exempla et Troiana complura exstant et urceolus quem Gordii Koerteius eruit, satis uenuste illa ratione ornatus. sed quamquam geometrica illa ornamenta in schemata certa atque satis elegantia figulos antiquissimos redegisse apparet, figuras uel animalium uel hominum exprimere nondum didicerant. sane et Troiae uasa figuris incisis ornata reperta sunt (e. g. Schliemann Ilios **461**), sicut plastica quoque animalia admodum rudia uasis adglutinata occurrunt (uelut AM XI 209), et inter uasa Thebis eruta nonnulla struthiocamelos palmasque incisas exhibere Petrius tradit: neque uero certa iam atque constantia artis elementa sunt, sed figulorum quorundam arbitrio debentur. quod uero fragmentum attinet Troianum homine leonem adgresso ornatum, huic multis saeculis postquam fictum erat, neque integro, sed iam confracto figuras incisas esse acutissime Milchhoeferus contendit [2].

---

[1] adeo hac in arte figuli illi antiquissimi prouecti erant, ut a posteris uix superati sint: uelut fragmenta Phrygia Bonnae adseruantur tam bene expolita, ut a Cumano saec. ut uidetur VI. tribuendo dignosci prorsus non possint.

[2] Zschr. f. Ethn. 1893, 367: neque tamen neglegendum est, artem illam in Aeolica ora in usu mansisse, cum reliquis locis iam diu aboleuisset: id quod uasis nigris a Koldeweyo Neandriae conlectis atque s. VII. tribuendis (Neandria 14—16, 19) confirmatur. cf. Doerpfeldt Troia 1893, 109 116.

In Italia rudem illam atque peruetustam artem, quae „terramare“ dicitur, saec. X. uel IX. noua excepit, quae a Villanoua uico nomen traxit: quam Graecae esse originis, siue a mercatoribus Graecis uel Phoenicibus importata est, siue a gente Graeca ex antiquis sedibus pulsa atque in Italia nouas petente, inter omnes constat. atque uasa quidem fictilia qua ratione ad exemplaria e laminis aeneis tenuissimis clauisque coniunctis facta, a rudibus atque incultis formis ad uenustiores certasque processerint, tam bene Barnabeius libro de sepulcris Narce erutis scripto (Mon. ant. IV 182) exposuit, ut argumentis ab eo prolatis uix quicquam addendum sit. neque tamen satis monuit, quanta affinitas, imprimis formarum, inter uasa Italica et antiquissima illa maris Aegaei intercedat: quod si quis uasa ingentis uetustatis, quorum magna copia in Sicilia nuper reperta est [1], in comparationem uocauerit, facile sibi persuadebit, utriusque artis discrepantias non tantas esse, ut eiusdem artis antiquissima exempla esse Troiana uel Cypria, media Sicula, Italica recentiora statuere uetemur: artis scilicet non uno loco, sed omnibus maris medii oris florentis. unum proponam exemplum, poculum Troianum, quod δέπας dicitur (e. g. Ilios 598) ad cornus similitudinem conformatum, additis ansis duabus (quae exemplis Thebanis Petrii desunt): cui et simillima in Sicilia detecta sunt (Not. d. Sc. 1891, 349), et prouectiora, deorsum planata, collo a corpore distincto (Andrian l. c. tab. IV, 10), qualia Troiae quoque inueniuntur (Ilios 600): atque ab hac forma facile traducimur ad Italicam, initio paruam atque deformem, mox ad cantharum huic arti peculiarem progressam, cuius ansae plexae saepe arietum capitibus ornantur.

Talia igitur uasa, ex terra mixta nigrescente admodum rudi atque graui manibus, non rota ficta et ornamentis geometricis decorata, omnibus Etruriae locis facta sunt, quoad medio circiter saec. VII. nouum a Graecis impetum ars accepit. hoc enim tempore et opera aenea Graeca et uasa protocorinthia plurima in Etruriam deferre mercatores coeperunt: neque picta

---

[1] pauca olim exempla cognita erant, ab Andriano (Praehist. Stud. in Sic. Zeitschr. f. Ethn. 1878 Suppl. 35 sqq.) conlecta: cf. Annali 1877, 57. 1880, 21. plura nuper cum in agro Leontino (Not. d. Sc. 1887, 301. 1891, 349), tum in Syracusano (Mon. ant. II tab. I) effossa sunt.

tantum exempla, sed nigra quoque importata esse infra uidebimus. figuli uero Etrusci, cum ornamenta noua atque ignota, plantas, animalia, in uasis cum fictilibus tum aeneis expressa uiderent, et ipsi nouam artem imitati similia rudi stilo suis uasibus incidebant: quo factum est ut exempla occurrant haud pauca, ex terra mixta formisque artis illius uetustae propriis ficta, ornamentis decorata nouis, qualia fasciae plexae sunt, loti flores, palmulae Ionicae et Phoeniciae (cf. infra p. 39). nec desunt animalia, inter quae saepissime pisces atque equi, interdum alati, occurrunt, quae eadem in uasibus pictis Etruscorum antiquissimis primum locum obtinent [1]. equidem cum plenum atque absolutum indicem proferre non possim, exempla quae noui praecipua enumerare satis habeo:

I. canthari formae uetustae, de qua supra dictum est, ansis instructi arietum capitibus ornatis: Faleriis complures eruti sunt fasciis plexis lotique florum et palmularum Ionicarum et Phoeniciarum zonis ornati [2]. equos binos ex utraque parte exhibet exemplum Faliscum (Not. d. Sc. 1887, 173), singulos cantharus Narce repertus (Mon. ant. IV 210) eo imprimis memorabilis, quod et armos spirae in speciem conformatos praebet et suffragines spiris duplis ornatas: quorum utrumque in urceo antiquissimo protocorinthiis simillimo (Mon. IX, 5) cernitur, suffraginis tantum spira in scypho uasis protoatticis simili, qui Olympiae detectus est (Olympia IV tab. 69, 1296, p. 200). praeterea medium equi corpus fascia cingitur cancellata, quales et in cratera Cypria artis Graecophoeniciae (Ohn. Richter Kypros p. 40) et in fibula antiquissima Boeotia (Eph. arch. 1892 tab. 11) apparent, ex ornandi ratione ortae, qua totum corpus ornamentis geometricis tegebatur: cuius rationis optimum exemplum est equus fictilis Athenis Bonnam delatus, Cretae ut dicitur repertus (nunc

---

1 hoc uasorum genus, cuius exempla Barnabeius composuit Narce eruta (Mon. ant. IV 280 sqq.), ex uasorum Graecorum serie pendet quae medium fere inter protoatticas, quibus forma urcei prae ceteris usitata similia sunt, et protocorinthia locum tenent. cf. infra p. 13/4 et Gsell Vulci 380 sqq., qui diligentissime exempla conlegit: addenda sunt Florentina complura.

2 Mon. ant. IV tab. 6, 6—7, Not. d. Sc. 1887, 173. Florentiae exemplum optimum adseruatur. equi alati expressi esse uidentur in cantharo Boston. 78 (Cat. Robinsoni p 65).

fraudulenter in tauri speciem redactus), cuius corpus ornamentis tessellatis tectum est fascia cancellata diuisis.

His exemplis subiungenda sunt duo, alterum Narce, alterum Faleriis erutum (Mon. ant. IV 206/7), quae equos binos inter se conuersos exhibent et ornamenta punctis effecta flabellis similia, neque tamen incisa, sed colore albo picta: quae uasa, arte cum reliquis ceterum prorsus congruentia, et ornandi illa ratione grauissima fiunt et ornamentis, quae quanti momenti sint infra exponetur.

II. pocula formae antiquissimae, ansis carentia, pedibus imposita conorum similibus. complura Faleriis eruta sunt, palmulis Phoeniciis (Mon. ant. IV tab. 5, 10, p. 321, exempla duo Florentina, Not. d. Sc. 1887, 263) et equis (Not. d. Sc. 1887, 173) ornata.

III. pocula formae similis, nisi quod labra introrsum recuruata sunt: cuius formae praeter exempla e terra nigra ficta, uelut Faliscum piscibus ornatum (Mon. ant. IV tab. 6, 14/15), unum simile noui, Corinthium ut uidetur, in aedibus Fainae comitis Oruietani adseruatum, in quo capita duo uirilia inter se conuersa picta sunt (cf. Eph. arch. 1885 tab. 7).

IV. pocula formae in Etruria frequentissimae, aliunde mihi quidem ignotae: corpus globo dimidiato simile pede conum imitante labroque recta protenso instructum est (formam u. Mon. ant. IV tab. 6, 13. cf. p. 255). inter exempla Faleriis eruta duo memoranda sunt, alterum palmularum et loti florum zona alternantium, alterum piscibus ornatum (Not. d. Sc. 1887, 263).

V. urcei formae antiquissimae, artis Troianae Cypriae Phrygiae propriae, cuius corpus globosum collumque altum et oblique abscisum cucurbitam imitantur. exemplum Faleriis repertum est equis duobus ornatum (Mon. ant. IV tab. 6, 4: cf. p. 248)[1].

VI. Ollae formae huic arti peculiaris: corpus globosum, collum distinctum labroque arcuato instructum, pes exiguus. ansae plerumque desunt. praeter Veientem equo et leone (Not. d. Sc. 1889, 62) et Faliscas duas palmulis Ionicis, piscibus, equis

---

[1] medium inter hanc urcei formam et Milesiam locum obtinent Mon. ant. IV tab. 6, 5, et p. 326, inscriptione Etrusca insigne, Bull. munic. VI tab. 6—8, 17, flabellis dimidiatis (cf. infra) decoratum.

alatis, hippocampo ornatas (Mon. ant. IV tab. 6, 2. 3) duae imprimis memorandae sunt:

1. Oruietana, nunc Florentina (Not. d. Sc. 1883/4, 338), in qua chimaera, uir hastatus, panthera, equus alatus compositi sunt, ita ut fabulae Bellerophonteae imago euadere uideatur.

2. olla magna Veiis reperta [1], prouectiore iam ratione ornata, cum in superiore uentris parte costis duabus rectis zona effecta sit, quae striis perpendicularibus in quattuor quasi metopas diuiditur. quarum prima pugiles duos tunicis breuibus (cuius uestigia in lacertis apparent) indutos exhibet, inter quos tripus, praemium certaminis, expressus est: cui imagini simillimae in situlis Euganeis occurrunt: additur praeterea ornamentum informe, quo cupressum exprimere figulus studuisse uidetur. reliquae metopae animalia bina uel terna exhibent, leones crura humana, pantheram capream ut uidetur deuorantes, ceruum, equum, auem, sphingem barbatam, grypem rostro aperto cibum quendam tenentem [2]. animalium corpora fere omnium fascia, de qua supra dictum est, panthera et leo gradiens armo et suffragine spirarum in speciem conformatis ornantur. praeterea palmulae in campo adduntur, et, ni fallor, palmae post pantherae et equi terga agnoscendae sunt, quoniam alas haec uocare altera parte, quae sub animalis corpore apparet, uetamur. haec omnia arte admodum rudi atque inculta expressa sunt, cum picturis Veientibus (Canina Veio tab. 31) imprimis comparanda. de singulis uero animalium typis infra dicendum erit.

VII. Vltimo loco formam omnium fere uetustissimam et huius artis prae ceteris propriam pono, urnam dico quae nomen a Villanoua uico acceptum toti classi transmisit: etenim quae noui exempla figuris ornata duo, Narce eruta (Mon. ant. IV 290/1) senescentem iam artem atque degenerantem monstrant:

1. in collo equi tres alati, in corpore maeandri zona.

2. in collo uir galeatus et loricatus (uel tunica breui indutus) gladiumque tenens inter leones duos aduersos, in inferiore uentris zona simillimus uir inter auersos leones duos apparet, cum superior uentris zona equos quattuor dextrorsum

---

[1] Campanari Vasi di Veio tab. I.

[2] similis gryps in pictura antiquissima Clusina cum Veientibus coniungenda (Bull. 1875, 225) occurrit.

conuersos exhibeat, ornamentis triangulis diuisos. quae omnia licet artem monstrent rudem et uix nomine dignam, tamen quam maximi momenti sunt, quoniam figurae binis lineis postea punctis expletis expressae sunt: quam ornandi rationem ad exemplaria aenea referendam esse infra exponemus [1].

II. De uasis nigris anaglyptis uetustissimis.

Vidimus artem Etruscam antiquiorem saec. VII. exeunte artis Graecae operibus importatis nouum impetum accepisse, atque per aliquod tempus certamen fortiter sustinuisse, donec uicta riuali cessit. neque uero uasa picta atque aenea tantum in Etruriam illo aeuo deferebantur, sed exemplaria quoque Graeca artis illius uulgo solis Etruscis tributae, quae Italico nomine „bucchero" dicitur. atque cum his ultimis imprimis annis pluribus locis uasa nigra Etruscis simillima reperta sint, uelut in Magna Graecia [2], Sicilia [3], Asia (Zeitschr. f. Ethn. 1882, 49), Rhodo (BCH 1888, 501), Attica (AM XVIII, 111) al., de origine illorum uiri docti dubitare coeperunt. mihi quidem prorsus probatur sententia quam Helbigium secutus Barnabeius (Mon. ant. IV 293) protulit, uasa ex argilla nigra pura et optime expolita ficta primum quidem aliunde aduecta, mox uero ab Etruscis figulis imitando expressa esse, ita ut exemplaria Graeca, quippe quae post breue tempus importari desita sint, pauca seruarentur: dignoscuntur uero ab Etruscis cum formis Graecis nondum deformatis cretaque leuiore, tum eo quod saepius cum uasis certo Etruscis coniuncta inueniuntur tam rudibus, ut eisdem figulis utraque tribui non posse eluceat. accedit quod et nonnulla exempla antiquitus refecta exstant necnon uasa e terra quidem mixta arte antiquiore ficta, sed formis et ornamentis

---

[1] urnis subiungo urceum admodum rudem (Mon. ant. IV 290), in quo centaurus humanus tunica breui indutus gladiumque uibrans expressus est, in suffragine spira dupla, quam tetigimus, addita.

[2] Cumis: Helbig Bull. 1875, 98, Neapol. Racc. Cum. 1048, fragmenta Bonnae adseruata. Sybari: Not. d. Sc. 1888, 651.

[3] Syracusis: Bull. d. comm. d. ant. d. Sic. nr. 5 tab. 4, 2. Annali 1877 AB 3. Not. d. Sc. 1893, 122, 445, imprimis 456, quo loco uasa duo commemorantur litteris Graecis incisis insignita. — Megarae Hyblaeae: Mon. ant. I 384/5.

noua, quibuscum in eisdem sepulcris saepe coniuncta sunt, imitantia.

De his igitur uasis ut iam agamus, ab exemplis duobus procedendum est prorsus singularibus, in sepulcro antiquissimo ducis Vetuloniensis erutis (Not. d. Sc. 1887 tab. 16), cantharum dico et cyathum pede coni simili anuloque cum corpore coniuncto nisum, ansaque alta et uenuste recuruata instructum, quae ansa ad exemplum laminae aeneae conformata est[1]: quam formam, artis Etruscae recentioris propriam, antiquissimae esse originis cyathis probatur aeui Mycenaei in Sicilia erutis (Annali 1877 E, Mon. ant. II, tab. 1) et ipsis nigris, e quibus noster aperte pendet. atque canthari quoque Vetuloniensis forma singularis est, cum ansae ita conformatae sint, ut ex laminis aeneis tenuibus et bacillis illis infixis constare uideantur: quibus similes ansas cum amphora antiquissima Clusina, colore fusco non lucente picta[2], tum cantharus praebet a Micalio (Mon. in. 31,7) editus, qui triangulis scalptis et animalibus formis impressis ornatur. accedit cantharus antiquissimus in eodem sepulcro Vetuloniensi repertus (Not. d. Sc. 1887 tab. 15,1), e terra mixta admodum rudi fictus, qui similem quidem, neque tamen cum nostro prorsus congruentem ansarum formam exhibet.

Vasa nostra cum ex eadem argilla leuissima atque subtilissima ficta ex interiore parte eisdem fere figuris anaglyptis atque lineis minutissimis scalptis[3] ornata sint, eidem utrumque figulo tribuendum esse censeo. medium locum in utroque rota quattuor radiorum occupat, circa quam leones alati tres ita dispositi sunt, ut duo inter se conuersi pedes priores iungant, tertius alterius illorum caudam faucibus teneat, cum alterius pede posteriore ipsius pes teneatur. sic egregie figulus animalia in anulum ut ita dicam continuum coniunxit. leones arte insigni eademque seuera expressi sunt: corpora exilia atque tenuissima, alae singulae exiguae recuruatae, linguae protensae, costae atque genitalia sedulo indicata. totum uas e caelato exemplari pendere

---

[1] inscriptionem Etruscam, qua pes cingitur, postea demum incisam esse censeo.

[2] Annali 1878 R: simillima est Boston. 81 p. 66 Robinson.

[3] cyathi ansae lineis, corporis pars exterior loti florum zona, utrisque scalptis, ornatur.

uix opus est monere; atque rotae quoque in medio fictae similes si non in uasibus aeneis, quae quidem tempus tulerunt, at in galeis in Magna Graecia repertis [1] occurrunt.

Atque felici casu factum est, ut exemplari illi aenea simillima seruarentur, discos dico Caeretanos (Mus. Greg. I 15, 3—4) eiusdem fere aetatis, qui et ipsi leones ternos ratione satis simili circa rosam dispositos exhibent: qui quamuis alis, costis, genitalibus careant atque omnino arte minus egregia caelati sint, tamen cum uasibus Vetuloniensibus disci illi maiore affinitate coniunguntur, quam quae casui tribui possit. a discis uero seiungere omnino non licet laminas aeneas in eodem sepulcro Caeretano erutas (Mus. Greg. I 17. 64, 10) neque turibulum quattuor rotis innixum (Grifi tab. 6, 2/3) [2]: quae ad seriem operum aeneorum pertinent animalibus admodum exilibus atque pedes priores erigentibus insignitam, quales laminae sunt Mus. Greg. I 38,7 [3], necnon turibuli similis ut uidetur ansa Praenestina (Mon. XI 2, 9): quae omnia eandem artem Ionicam prae se ferre singulis animalibus examinatis apparet. etenim leones iubis ad caudam protensis ornati linguasque proicientes (Grifi tab. 6) in urceo Chalcidensi Caroliruhae adseruato (527 Schumacher), necnon in aliis operibus Ionicis, de quibus infra agetur, alati quoque interdum, occurrunt, lupi uel canes aurei qui dicuntur (Mus. Greg. I 17) in urceis Ionicis a Duemmlero (RM II 192 nr. 18. 19) enumeratis et in ornamento aureo Vettersfeldae reperto (Furtwaengler Goldf. v. Vett. p. 23 tab. 2). accedunt equi exsultantes, ibex alatus, in monumentis Assyriis non rarus [4], leones uiris uirique leonibus binis arrectis interpositi, qui et ipsi ex Assyriis operibus pendent, denique palmae uarium in modum confor-

---

1 Caroliruh. 697 = Baumeister Denkm. fig. 2250. Neapolitana Rubis eruta (Fiorelli armi ant. nr. 10).

2 flores quibus ornatur prorsus congruunt cum operculo amphorae Vetuloniensis uetustissimae e laminis aeneis coniunctae (Not. d. Sc. 1887 tab. 15): atque item cum operculis splendidioribus (Not. d. Sc. 1887 tab. 16, 8 et 1894, 353) unum comparari potest Caeretanum Mus. Greg. I 16.

3 Mus. Greg. I 38, 8 Etruscum esse uidetur. cf. etiam tabellas fictiles anaglyptas Etruscas, quae Mannhemi adseruantur, AAnz. 1890, 152.

4 Perrot II 610 (V 853): cf. ansas duas amphorae pulcherrimas, artis Persicae ex Ionica pendentis, quarum altera Berolini, altera in museo Tyskiewicziano adseruatur (Coll. Tysk. 3).

matae, necnon palmulae Phoeniciae (Mus. Greg. I 17 cf. 15,6) et palmularum zona ex Assyria orta, cui simillimae in loricis pulcherrimis Ionicis Olympiae erutis (Olympia IV 58/9)[1] occurrunt: quae loricae sphinges quoque pantherasque, binas arrectas, leones linguam exserentes, palmas simillimas exhibent. — Iam si haec omnia perpenderis, totam illam uasorum et laminarum seriem urbi uel insulae Ionicae orae Asiaticae tribuendam esse concedes. atque cum Lesbi uasa nigra facta esse sciamus, id quod infra fusius exponetur, cumque praeterea Neandriae, in urbe Aeolica cum Lesbo commercio et affinitate coniuncta, fragmenta nigra animalibus anaglyptis ornata atque et ipsa saec. VII. tribuenda reperta sint[2], suspicari quidem licet, nostra quoque uasa eo referenda esse, quamquam certis hoc argumentis confirmare non possum.

Iam ad cantharum Vetuloniensem redeamus, qui eo summi momenti est, quod praeter figuras anaglyptas leonibus alatis ornatur, qui forma quadrata exigua ansis impressi sunt: cui formae simillima et canthari Vetuloniensis e terra mixta ficti, quem supra commemorauimus, ansis impressa est, et scyphis artis indigenae admodum rudis, in eodem sepulcro repertis. en testimonium habes certissimum, quo primas formas ab Etruscis adhibitas e Graecia importatas esse comprobatur. atque tales formas a caelatoribus figulos accepisse docemur operibus aureis uel argenteis pulcherrimis, quorum multa in Etruria (uelut splendidum illud Caeretanum Mus. Greg. I 82/3), fragmentum Olympiae quoque repertum est[3]: eisdem enim formis paruulis impressis opera illa decorata sunt.

Iam noua euadit uasorum nigrorum origo, ab ea quae uulgo traditur omnino diuersa: primum igitur uasa aduecta sunt Graeca figuris anaglyptis et formis paruulis impressis ornata: cuius artis quamquam duo tantum exempla, insignia quidem,

---

[1] accedit quod craterae basi Praenestinae (Mon. XI 2), quae cum laminis nostris equis alatis exsultantibus coniungitur, exemplum forma, quae Asiatica et ipsa est, simillimum Olympiae (tab. 49) effossum est.

[2] Koldewey Neandria p. 20 (cf. 48): artem uetustam in ora Aeolica diutius permansisse supra exposuimus.

[3] IV 37, 693, leonibus interdum alatis palmulisque Ionicis et Phoeniciis ornatum.

aetatem tulisse uidentur[1], tamen plura olim importata esse inde apparet, quod figuli Etrusci, nouam artem admirati, uasa rudia e terra mixta ficta formis illis paruis ornare coeperunt: qualia scyphi sunt et cantharus illi Vetulonienses, uel olla uetustissima Bononiensis (Sala VIII vetr. J), cui chimaerae impressae sunt[2].

Atque mox saec. VII. ex. uel VI. in. formae illae planae exceptae sunt cylindratis, quarum antiquissimae quin et ipsae aliunde importatae sint mihi quidem dubium non uidetur: de hac autem quaestione plurimis demum formis cylindratis conlectis atque adcurate examinatis certum iudicium proferre licebit[3]. hoc unum moneo, nullum quod quidem sciam exstare exemplum e terra mixta fictum, quod formis cylindratis ornatum sit: qua re formas illas tum demum adhibitas esse demonstratur, cum ars antiqua aboleuerit.

Aboleuit autem, uel potius exstincta est noua imprimis arte, et origine ab illa de qua iam diximus et ratione diuersa, quippe quae non anaglyptis uel impressis figuris, sed lineis scalptis tantum usa sit.

III. De uasis nigris scalptis[4].

In nouam hanc artem inquisituro initium a sepulcro ducis Vetuloniensis rursus sumendum est: in quo cum uasis e terra mixta fictis et duobus illis anaglyptis, de quibus egimus, scyphus formae protocorinthiae erutus est ex argilla nigra subtilissima summa arte confectus zonaque flabellorum[5] et radiis scalptis ornatus[6]: qui cum forma omnino cum scypho pulcherrimo argenteo in eodem sepulcro reperto congruit, tum ornamento

---

[1] cum uasa egregia Vetuloniensia ab omnibus adhuc neglecta sint, quamuis dudum publici iuris facta, fieri potest ut alia quoque huius artis exempla in museis lateant.

[2] cf. amphoram Fainae comitis admodum rudem (Annali 1884 C), quae et maiores formas exhibet et minores in zonam compositas, has ut uidetur importatas, illas in Etruria fortasse factas.

[3] cf. Helbig Annali 1877, 407 tab. UV.

[4] subtilia Barnabeius optime de eis meritus uocat.

[5] hoc ornamentum grauissimum, punctis effectum, iam supra tetigimus p. 5.

[6] Not. d. Sc. 1887 tab. 16.

illo peculiari, nisi quod in argenteo humiliorem locum flabella obtinent. fictili uero scypho prorsus similis Narce erutus (Mon. ant. IV 306), tertius, lamina argentea introrsum obductus, e magno sepulcro Caeretano in museum Gregorianum (II 103) delatus est. quae uasa omnia, si quid uideo, Etruscis prorsus abiudicanda sunt: atque cum ornamentum illud flabello simile et pars eius, quam flabellum dimidiatum dicamus, uasis nigris scalptis peculiaria sint, a scypho illo argenteo, quem Etruscae originis certo non esse uidebimus, uasa nostra seiungi omnino non posse censeo. mox uero Etrusci tam bene artem illam imitati sunt, ut saepe in singulis exemplis dubii haereamus, ipsisne an Graecis tribuenda sint. quam ad rem diiudicandam maximi momenti sunt formae, quoniam Graecas formas et Graeco figulo tribuere licet et indigenae, huic tantum artis Etruscae antiquioris proprias. illas igitur formas primo loco iam enumeremus[1]:

I. scyphi formae protocorinthiae, quorum optimi iam commemorati sunt. accedunt Cornetani duo (Not. d. Sc. 1890,74) et Vindobon. 181—183 Masn.

II. paterae formae Corinthiae ansis binis instructae[2]: exempla sunt Berol. 1506—1510 et Vindobon. 185: accedit egregium Narce erutum (Mon. ant. IV 330), non flabellis sed zona figurarum ornatum: homo ceruum hasta permagna adortus, equus, ulula palmulae insedens, leo iuba ad caudam usque protensa ornatus, qui crus humanum faucibus tenet. de hoc uase, praeterea inscriptione Etrusca insignito, infra fusius agetur.

III. lecythi formae protocorinthiae: flabellis et radiis ornatae Berol. 1517. 1518, ornamentis geometricis artis protocorinthiae Berol. 1533 et Brunsuig. AAnz. 1890,7: quas omnes Graecas esse existimo, Etruscas uero Vindobon. 187, radiis deorsum conuersis auiumque zona uolantium admodum rudi ornatam, et fortasse etiam Berolin. 1542, quae equitem exhibet equosque duos, quorum suffragines spiris duplis (cf. supra p. 4) ornatae sunt.

IV. canthari formae Graecae, ab antiquiore Etrusca om-

---

[1] exempla affero quae mihi quidem praesto sunt: longe plura exstare non ignoro.

[2] hanc formam Corinthiis non peculiarem, sed Ionicam esse infra uidebimus.

nino diuersae, cuius exempla haud pauca e terra nigra subtili ficta sed ornamentis carentia in Sicilia occurrunt. flabellis ornati complures tempus tulerunt, uelut Berol. 1485, Virceburg. 8, Gsell Vulci tab. 3, 4, alii Florentiae, Bonnae al. adseruati: accedunt nonnulli figuris insigniti:

1. Berol. AAnz. 1893,82, Graecae ni fallor originis: altera ex parte ornamentum quoddam grypibus[1] duobus interpositum est, ex altera palma ornamenti in speciem redacta inter sphinges duas, quarum altera ala caret, expressa est, additis struthiocamelo (cf. infra p. 17) palmisque duabus ab illa diuersis, quarum cacumina, quamuis ornamentorum, non arborum uice fungantur, ad naturae exemplum satis adcurate expressa sunt: qua re et ipsa uas Etruscum non esse confirmatur.

2. Berol. 1541 (nostra tab. I) A. centaurus humanus tunica breui indutus ramumque utraque manu gerens, aries quem leo adoritur, B. equus, cui paruum animal felinum insidet[2], sphinx ala recuruata, monili, brachio humano, quo ramum tenet, instructa[3], caprea a panthera dilaniata: in campo rosae et ornamenta addita sunt, quibus similia in ansis quoque exstant. animalium corpora fasciis cinguntur: cf. supra p. 4.

3. Micali Mon. in. 27,5 : panthera capream faucibus tenens[4], leo alatus, leo arrectus: corpora punctis expleta, in campo palma et palmula Phoenicia addita sunt.

4. Micali Mon. in. 27,3 : exemplum Etruscum esse apparet, quoniam nouae formae arietum capita uetustae arti peculiaria addita sunt: in ansis flabella dimidiata exstant, in corpore leo linguam proiciens et ceruus dama, quo exemplaria quidem ex Ionia aduecta figulum imitatum esse apparet: cf. infra p. 18.

His subiungo exempla e catalogis mihi nota, Petropol. 162 (panthera, equus, ceruus), Cat. Campana III 87. 97, Neapol. 209.

V. urcei labris trifidis collisque altis instructi, cuius formae et in Sicilia exempla reperta sunt arti protocorinthiae simillima

---

[1] rostris apertis bullas singulas gerunt, typus artis Milesiae, non Corinthiae proprius.

[2] cf. picturas Veientes Canina Veio 31 = Micali Mon. in. 58.

[3] sphinx brachio instructa picta est in amphora Bonnensi in Italia ut uidetur reperta, quam coloniae Ionicae tribuerim.

[4] Ionicus typus est: cf. Mus. Br. B 102, 23 et Tanis II tab. 26, 15a, atque etiam fibulam antiquissimam Boeotiam AIhb. III 362: cf. infra p. 41/2.

(Mon. ant. I 811 Not. d. Sc. 1895, 167) et in Etruria permulta ornamentis geometricis et animalibus decorata (Gsell Vulci 380 sqq.), quae cum Siculis illis satis arcta affinitate iunguntur. exemplum ex terra nigra factum flabellisque in humero dispositis ornatum Narce erutum est (Mon. ant. IV 305): quod Graecum esse et lamina argentea, qua obductum erat et eo confirmatur, quod antiquitus refectum est. accedunt Vindob. 191 et Petrop. 211 animalium zona ornatum.

VI. urcei labris trifidis instructi, formae quae Milesia dicitur, cum huius artis plurima exempla exstent, uerius autem Ionica uocetur. nostra uasa pleraque in infima uentris parte radios exhibent: flabellis ornata sunt Berol. 1519, Micali Mon. in. 27,8, Virceburg. 440, cuius labrum serpentibus plasticis insignitur, striis tantum et radiis Berol. 1535—1537 (cf. 1538. 1539), squamis exemplum Clusinum, lineis tortis, rosis, squamis, fasciis plexis Berol. 1534. accedunt complura, quae animalium zonam radiis et flabellis interpositam praebent, uelut Micali Mon. in. 27, 6. 7, Neapol. 216. 222. 413, Petrop. 158. 211, Canina Veio tab. 34, 15: inter animalia saepius cerui damae occurrunt (Micali 27,7 et Petrop. 158. 211), praeterea panthera capream faucibus tenens (Micali 27,6) et canes, fortasse aurei (Petrop. 211, cf. supra p. 9) memorandi sunt.

VII. urcei exiles, labris rotundis instructi, ad exemplaria aenea (quale Mon. ant. IV 302) conformati: Vindobon. 192, flabellis dimidiatis in humero dispositis ornatus: cf. Boston. 254 p. 97 Robinson.

VIII. urcei utribus similes, formae Corinthiae: Narce exemplum erutum est (Mon. ant. IV, 304), quod Etruscum esse Barnabeius tradit. cf. Boston. 255 p. 97 Robinson.

IX. pocula formae Etruscis antiquitus usitatae atque iam supra inter uasa nigra uetustiora enumeratae: quam tamen Graecis hic subiunxi, quoniam eadem Ionicae quoque classi, Cumis fortasse tribuendae [1], peculiaris est. exempla exstant plurima flabellis ornata, uelut Berol. 1468—1474, Vindob. 176,

---

[1] de hac post Duemmlerum (RM II) ultimus E. Pottier (Album d. mus. d. prov. livr. 2/3, 71) urceo adhuc ignoto edito disseruit. pocula complura Monachii, duo in Fainae comitis aedibus, unum Bonnae adservantur. exempla ediderunt Lauius Griech. Vas. tab. 6 et Micali Storia 96, 4.

177, Bull. Comun. III, tab. 6—8, 20. atque dignae sunt quae memorentur paterae duae permagnae Florentiam Clusio delatae, forma paterae rubrae Etruscae Mannhemi adseruatae (AAnż. 1890, 152) similes, pede alto nisae, quarum utraque urceum formae Milesiae et pocula quinque sustinet operculis instructa pedibusque deorsum acuatis in marginem paterae perforatum inmissa: quae omnia flabellis ornata sunt. accedunt exemplum a Micalio (Mon. in. 27,4) editum et Neapol. 202, animalibus utrumque decoratum.

Praeterea eiusdem fere formae pocula seruata sunt et pede exiguo ansisque binis (Berol. 1479. 1480), et pede alto ansisque quaternis (Berol. 1481. 1482) instructa atque flabellis ornata: quae omnia Etrusca esse uidentur.

X. pocula formae similis, sed praeter pedem quaternis fulcris innixa, quae uel ex ornamentis opere perforato effectis composita[1] uel in hominum daemonumue speciem conformata sunt: qualia Caeretana sunt (Mus. Greg. II 103), mulieres interdum alatae crinibusque longis in nodos tortis praeditae, quibus simillima et ipsa Caeretana Dresdae adseruantur (AAnz. 1889, 164), quae certo Graeca esse Loeschckeius certiorem me fecit[2]. atque felici casu factum est, ut quasi exemplar in ipsa Graecia detegeretur, poculum prorsus cum illis congruens, quod Rhodo in museum Parisinum delatum est (Louvre A 396 Pott.). exempla flabellis ornata sunt Florentina, Virceburg. 17, Micali Mon. in. 27, 2. accedunt complura a Canina (Veio tab. 34, 1—5) edita, quorum duo loti florum et grypum ut uidetur uestigia, et Petrop. 228 a, quod aues quattuor praebet.

Iam ad eas formas transeamus, quae antiquiori arti iam notae deinde noua quoque adhibitae atque excultae sunt: quarum exempla omnia in ipsa Etruria facta, non aliunde importata esse in propatulo est:

I. amphorae, de quarum origine atque historia egregie Barnabeius (Mon. ant. IV 232—235) egit: corpus globosum est,

---

[1] quale fulcrum a Bissingio Bonnam delatum, quod ornamentis constat palmulis Phoeniciis simillimis.

[2] prae ceteris memoria dignum est fulcrum Dresdense ibid. editum, quod omnino cum figuris marmoreis maris Aegaei antiquissimis congruit atque aperte Etruscis abiudicandum est.

pede exiguo nisum, collum a corpore distinctum sursum coangustatur, labrum ansaeque, quibus cum corpore illud coniungitur, quasi e laminis aeneis resecta uidentur. totum uas, initio humile atque depressum, postea grandius atque uenustius fit, collo imprimis altius protracto. ornamentum sollemne, cuius originem optime Barnabeius exposuit, spirae duplae sunt in utraque corporis parte incisae. exempla et ex terra mixta uel rudiore uel puriore et ex argilla nigra subtili ficta exstant[1]: accedit argenteum in magno sepulcro Caeretano erutum (Mus. Greg. I 62, 8). praeterea et amphorae ex terra mixta fictae inueniuntur ornamentis geometricis nouis (Milani Mon. ant. II 46) et palmulis Phoeniciis (Berol. 1410. 1411) insignitae, et egregium seruatur nouae artis exemplum Berolinense (AAnz. 1893, 82), flabellis et palmulis Phoeniciis solito longe pulchrioribus, quibus equus alatus interpositus est, decoratum.

Ex hac forma deinde amphora orta est similis, nisi quod corpus aliquanto exilius pede maiore nititur zonaque cingitur costis duabus plasticis effecta: cuius formae haec noui exempla:

1. Canina Veio tab. 34, 17: taurus (?) et leo dextrorsum conuersi.

2. Petropol. 321: pantherae, leo, cerui damae, canes, ceruus florem ore tenens.

3. Vindob. 200: aues quattuor rudes spiris et rosis diuisi.

4. Vindob. 201: aues quattuor uolantes, eodem modo dispositi: exemplum eo memorabile, quod ansae non ornamentis incisis, ut solent, sed grypibus binis[2] formis quadratis (cf. supra p. 10) impressis decoratae sunt: qua ornandi ratione iam ad amphoras deducimur formae quae dicitur Nicosthenicae (cf. p. 23) cuius exemplum et ipsum ornamentis geometricis incisis insignitum Oruieti erutum est (Not. d. Sc. 1887, 351. cf. Cat. Campana III 140).

II. urcei formae antiquissimae, collo a corpore distincto cylindro simili, uentre striata praeditae. aeneus Narce effossus

---

[1] Barnabeius l. c. Berol. 1406—1411. Vindob. 196—199. Cat. Campana III 32. Not. d. Sc. 1884/5, 686 (Corneti), 1887, 266 (Faleriis eruta).

[2] grypes eiusdem formae antiquissimae, rostris clausis alisque recuruatis praediti, in amphora Vindob. 202, ornamentis ceterum carente, occurrunt.

est (Mon. ant. IV 302), praeterea et ex terra mixta (Mon. ant. IV tab. 6, 8) et e subtili (ibid. p. 303) facti exstant[1]: flabellis ornati sunt Berol. 1521 atque Florentini duo egregii, qui praeterea zonas formis cylindratis impressas ansasque plexas atque opercula alta exhibent, quibusque docemur scalpturam statim formis cylindratis exceptam esse.

III. uas formae singularis, stamno qui dicitur Corinthio simile, operculo coronario, qualia artis Troianae propria sunt (cf. infra p. 28) instructum. unum noui exemplum Berol. 1501 (forma 155) flabellis ornatum.

Denique monendum est, etiam in uasis nigris artis Etruscae florentissimae (saec. VI. med.) ornamenta scalpta non raro anaglyptis addi, uelut flabella dimidiata in humero urcei Clusini pulcherrimi (Annali 1884 D)[2] expressa sunt.

Vt paucis summam quaestionis iam perstringamus, quamuis uasa nigra scalpta haud pauca Etruscis abiudicari non possint, antiquissima tamen optimaque exempla Graecae originis esse persuasum habeo. etenim formae fere omnes Graecae sunt, scyphi et lecythi protocorinthiis similes, paterae et pocula Ionicis, urcei uel et ipsi Ionicis (Milesiis) uel Siculis ex arte protocorinthia pendentibus, canthari item cum Siculis congruentes. accedit quod animalia quaecunque uasis nostris peculiaria sunt eadem in operibus Ionicis occurrunt: qualia leones alati sunt[3], struthiocameli et in situla aenea Praenestina (Archaeologia 41 tab. 6, infra p. 19—20) et in patera Niniuitica (Layard II 59 A:

---

[1] monendum tamen est, similem formam inter uasa Graeca quoque inueniri: qualis urceus est antiquissimus ut ita dicam protomilesius Mus. Brit. A 34 (Duemmler AIhb. VI 268).

[2] degenerantis atque recentioris artis exempla sunt olla a Micalio (Mon. in. 34) edita et urceus Tragliatellae repertus (Annali 1881 LM), quorum utrumque inscriptionibus Etruscis insignitur.

[3] frequentissimi in operibus Assyriis, Syriis (e. g. Perrot IV 534), Phoeniciis (e. g. Perrot III 408) Ionicisque ex illis pendentibus, ut in armilla aurea Vetuloniensi (Not. d. Sc. 1893, 504), in arca aenea Vetuloniensi (Not. d. Sc. 1887 tab. 18), in cratera Caeretana (Mus. Greg. I 11, 16) al., rariores in uasis pictis occurrunt: uasculum noui protocorinthium (IHS XI tab. 1/2: insigne clipei), hydriam Lesbiam (cf. infra p. 22), amphoram Etruscam Mus. Brit. B 67, uasa rubra (AAnz. 1891, 16) et nigra (Micali Storia 20, 16) formis impressa, uasa bernice tecta, de quibus infra agetur.

cf. anaglypta Assyria ut Perrot II 566) expressi, cerui flores ore tenentes, cerui damae[1], pantherae capreas, leones crura humana deuorantes, de quibus infra fusius agetur, centauri humani tunicis breuibus induti, qualis in eadem situla Praenestina exstat. arctissima autem affinitate uasa nigra scalpta cum scypho argenteo Vetuloniensi supra commemorato conectuntur, quem iam adcuratius examinemus.

Scyphus igitur ille nobilissimus (Not. d. Sc. 1887 tab. 16), formae protocorinthiae, ex lamina argentea tenui ductus atque lineis scalptis, caelatura non adhibita, ea ratione ornatus est, ut zonis animalium cingatur angustis latisque binis, praeterea flabellorum zona illis interposita: in imo uase nunc deperdito radii certo dispositi erant. flabella illa, quibus imprimis scyphus argenteus cum fictilibus coniungitur, ex palmulis orta esse uidentur, quales in pateris Phoeniciis aeneis occurrunt (Layard Mon. of Nin. II 68, Mus. Ital. II tab. 6), sed punctis, non lineis effectis. — animalia quae in angustioribus zonis expressa sunt, aues omnes uno lepore interposito, toto orbe a ceteris diuersa sunt, cum ad exempla Aegyptia ea conformata esse appareat. neque uero artis opera, sed litteras quae hieroglyphicae dicuntur imitatus est artifex, quem pro arbitrio exempla illa mutasse inde intellegimus, quod praeter nisos et phoenicopteros Aegyptiis usitatos et struthiocamelos, qui raro quidem, sed tamen nonnumquam occurrunt, aues addidit triangulos, ex nisorum pollinctorum figuris perperam intellectis deformatos[2], leporem auibus interpositum, palmas in ornamentorum speciem redactas[3].

---

[1] arti Asiaticae et Ionicae orientali peculiares: antiquissima exempla sunt anaglypta Assyria (Layard I 35, 44) et paterae Niniuiticae (Layard II 58 A, 61 A) atque Praenestinae (Clermont-Ganneau Imag. Phén. tab. 1): sequuntur ouum struthiocamelinum (Perrot III 856) et uasa Milesia, Naucratitica (IHS tab. 79), nigra scalpta: cf. Malmberg Material. z. Arch. Russl. nr. 13 p. 12. accedunt amphora ab Amasi figulo facta (WVorl. 1889, 3, 2: clipei insigne), qua re et ipsa ex Ionia illum Athenas uenisse confirmatur, et anaglyptum Dresdense ad archetypum Ionicum saec. VI. referendum (Furtwaengler, Roschers Lex. I 2224).

[2] nisi pollincti et in litteris hieroglyphicis exstant (e. g. Lepsius II 149 e, us. 3) et figurae paruae eorum ligneae frequentes occurrunt.

[3] fortasse non litterae uere Aegyptiae sed iam deformatae artifici praesto erant, quales in pateris aeneis uel argenteis uulgo Phoenicibus

Neque igitur Aegyptium fuisse qui scyphum nostrum fecit, quamuis exemplis Aegyptiis usus sit, ipsis angustioribus zonis probatur, confirmatur latioribus, quarum animalia non Aegyptiam artem, sed Ionicam (elementis quibusdam Phoeniciis contaminatam) prae se ferunt: qualia leones sunt linguam proicientes, alter iuba ad caudam protensa ornatus (cf. supra p. 9) et taurus, cuius armus punctis indicatur, quod idem in uasis fictilibus antiquissimis non raro apparet[1]: praeterea extremae lineae, imprimis auium illorum triangulorum, non raro punctis ornatae sunt: qui usus iam in uasis Mycenaeis occurrit (Tiryns tab. 14, 17, Myk. Vas. XXXIX 405, 407, 403, XL 418 a), ab exemplis aeneis aperte deriuatus. — equi alati, qui et ipse Ionicus typus est, quamuis maior pars deperdita sit, tamen, id quod haud parui momenti est, cum grype, cuius caput solum seruatur, crucis in formam eum compositum esse apparet: quae ratio iam in gemmis illis uetustissimis, quae insulares dicuntur, saepius occurrit necnon in ouo struthiocamelino scalpto (Perrot III 856), quod artem scyphi similem praebere uidebimus.

Grypes uero, quorum rostra clausa bullis carent, Phoenicii sunt, atque idem de sphingibus ualet, quae inter pedes priores quasi uestem gerunt: quod ornamentum, sphingibus Phoeniciis peculiare, primum ortum esse uidetur e pinnis inter pedes additis, quales in patera aenea Niniuitica (Layard II 68) atque etiam in cista eburnea Clusina (Mon. X 39 a), quae tamen Ionicae originis atque recentioris aetatis est, apparent. sed iam sphinges eburneae et ipsae Niniue erutae non pinnas, sed uestem exhibent (Layard I 89, Perrot II 534). accedunt paterae argenteae (uelut Mus. Ital. II. tab. 6, Layard II 58 E, 68) gemma artis Graecophoeniciae (Cesnola Cyprus tab. 37, 15), statua picta fictilis in Cypro reperta (JHS. XII tab. 10), denique situla aenea Praenestina (Archaeologia 41 tab. 6) atque cratera argentea Caeretana basi alta instructa (Mus. Greg. I 11 et 16 per-

---

tributis, in Etruria, Cypro, Creta repertis interdum occurrunt: quae tamen paterae arte a scypho nostro omnino diuersae sunt.

[1] ut in fragm. Daphnis erutis (AD II 21), tabella Corinthia (AD II 24), urceo Gamedis Boeotii (WVorl. 1888, 1): armus linea uel spira indicatus arti Ionicae fere sollemnis est: cf. e. g. loricas Olympias (Olympia IV 58), urceum Aegineticum (Mon. IX, 5), oua struthiocamelina (infra p 20) uasa nigra uetustiora (supra p. 4).

peram diuisae)[1]. praeterea ad eundem typum referendae sunt sphinges sellae Soluntinae (Perrot III, 426, Bruckmann-Arndt 546). Phoeniciam artem alae quoque monstrant recuruatae quidem, sed pulchram Graecam formam nondum adeptae atque plerumque distensae.

Grypum sphingumque colla fasciis uel monilibus cinguntur, quibus similia et in fragmento Phoenicio, ut uidetur, Olympiae eruto (IV tab. 37, 692), et in lorica Ionica pulcherrima (ibid. tab. 58) occurrunt, necnon in cantharo Berolin. 1541 (nostra tab. I), qua re et ipsa uasa nigra scalpta cum scypho nostro coniunguntur. animalium corpora fere omnium fasciis cinguntur, quales in uasis nigris deprehendimus. denique palmae commemorandae sunt ornamentorum uice functae et una post taurum posita[2], quae arboris formam seruauit, necnon palmula Phoenicia sphingibus interposita.

Omnino apparet scyphum Vetuloniensem non a Phoenice factum esse, sed a Graeco in Ionica quadam colonia commercio cum illis coniuncta habitante: quam coloniam in Sicilia fortasse sitam esse infra exponemus. dolendum autem est nulla quod sciam seruata esse opera aenea, quae eidem officinae tribuere liceat. nam et ab arca aenea in eodem sepulcro Vetuloniensi reperta (Not. d. Sc. 1887 tab. 18) et a cista Praenestina et operibus cum ea coniungendis, quae supra tetigimus, scyphus discrepantiis satis grauibus diuiditur, quamuis haud pauca utrisque communia sint. atque idem de ouis scalptis ualet struthiocamelinis quattuor in sepulcro antiquissimo Vulcenti quod Polledrara dicitur (saec. VII. ex.) repertis (Perrot III 856 sqq.)[3], necnon de cistis eburneis Clusinis duabus (Mon.

---

[1] cratera una omnium grypes quoque uestibus indutos exhibet; eidem officinae tribuenda est crates Caeretana (Mus. Greg. I 16) propter palmulas Phoenicias, quibus cratera quoque cum situla Praenestina tota arte simillima coniungitur: quarum utraque satis arcta affinitate cum cista argentea Praenestina (Mon. VIII 26: Schumacher Praen. Ciste 38 sqq.) conectitur. accedunt fragmenta eburnea Archaeologia 41 tab. 8.

[2] cf. uascula animalibus anaglyptis uitreis ornata, quae iniuria uulgo Phoenicibus tribuuntur (ut Mus. Napol. 49) quaeque et ipsa litteras Aegyptias interdum praebent.

[3] quintum, in quo sphinges admodum rudi arte pictae, non scalptae sunt, Etruscae originis esse censeo. cf. p. 43.

X 39 a, Bull. 1878, 130) arctiore affinitate cum ouis coniunctis: quae opera artis Ionicae antiquissimae neque elementis alienis admixtae optima exempla esse censeo[1]. quod si in uasis nigris scalptis, quae a scypho Vetuloniensi seiungere omnino non licet, nonnulla deprehendimus ceterorum quae enumerauimus operum uni uel alteri peculiaria, et solum scyphum ex tota artis illius serie, ex qua uasa nigra scalpta pendent, tempus tulisse reputes, et talia non uni tantum classi, sed toti arti Ionicae orientali tribuenda esse. atque in tanta exemplarium aeneorum inopia quam maximi momenti uasa fictilia sunt, quoniam ex his illa quasi reficere possumus: id quod cum in uasis nigris scalptis fecerimus, iam ad alteram classem transeundum est, satis arcta affinitate cum illis coniunctam.

IV. De uasis nigris et rubris pictis.

Figuli cum lineas in uasis incisas coloribus explerent, ad nouam rationem facile deducebantur, ut reiecta scalptura ornamenta eisdem coloribus in uasis adcurate expolitis pingerent. neque desunt uetustissima huius artis exempla, qualia fragmenta sunt nigra lineis rubris ornata, quae Koerteius Thessalonicae repperit, uel rubra ornamentis geometricis albis decorata, qualia inter Petrii uasa Thebana exstant[2]. atque eadem

---

[1] neque Phoenicia neque Etrusca oua esse cum litteris Graecis in eis incisis tum tota arte comprobatur. Ionica sunt et animalia, ceruus dama, canes aurei (cf. supra p. 9), leones crucis in formam compositi (cf. supra p. 19), grypes auisque grypis capite instructus, qui non Corinthius, sed Ionicus typus est, et ornamenta, imprimis triangula cancellata, quae eadem in urceis Aeginetico (Mon. IX 5) et Rhodio (Mus. Brit. A 34. Duemmler AIhb. VI 268) Milesiis simillimis atque in uasis Milesiis et protoatticis occurrunt. iniuria uero Smithius (IHS XIV 216) oua Naucrati facta esse contendit, fragmento nisus ibi eruto (Naukratis I tab. 20, 15), quod myrthi ramum exhibet et longe recentioris artis neque scalptum, sed erosum. simillimam ouis artem, sed iam minus seueram atque rigidam praebet cista eburnea Clusina (Mon. X 39 a, Schumacher Praen. Ciste 52), saec. VI. in. tribuenda: paulo uetustior uidetur cista eburnea et ipsa Clusina, ab Helbigio (Bull. 1878, 130) descripta, quae inter animalia sphingem ueste indutam et leones crura humana faucibus tenentes (cf. supra p. 6) exhibet.

[2] his subiungendum est uas a Clemenio ex Aegypto Bonnam dela-

ratione ornatas et urnas antiquissimas Italicas tuguriis similes (Not. d. Sc. 1882, 290) offendimus, et urnas artis Villanouanae (Not. d. Sc. 1882, 307 tab. 3) similesque primo qui dicitur artis Euganeae aeuo tribuendas (Not. d. Sc. 1882 tab. 5, 10): quae omnes ornamenta in reliquis eiusdem artis exemplis incisa colore albo picta praebent. apparet haec exempla non communi e fonte deriuata, sed pluribus simul locis rationem illam inuentam esse. atque idem de uasis nonnullis e terra nigra mixta factis ualet, quae ornamentis geometricis colore albo pictis decorata sunt; qualia cyathus Berol. 1385 uel amphorae duae sunt Faliscae (Not. d. Sc. 1887, 266), ornamentis partim incisis, partim colore albo pictis insignitae. quin etiam ne cantharos quidem illos de quibus supra (p. 5) egimus, certae nouaeque artis rationi, sed figuli cuiusdam libidini attribuerim. saec. VII. ex. demum uasorum classem offendimus, cui haec pingendi ratio propria atque peculiaris sit: cuius cum optima exempla in sepulcro illo antiquissimo Vulcenti (saec. VII. ex.), cui oua quoque struthiocamelina debemus, reperta sint[1], tota series ab illo Polledrarae nomen accepit: quamquam Etruscam eam non esse equidem persuasum habeo. uasa uel ex terra nigra expolita uel ex terra fusca indumento nigro inducta ficta sunt, neque haec ab illis secernere licet: quod cum tamen Smithius, qui ultimus de his uasis egit (IHS XIV 207) fecerit, diligentissimae dissertationis fructum perdidit. nos igitur quaecunque nouimus exempla coniuncta iam proponamus:

1. hydria in sepulcro Polledrarae reperta: post Micalium (Mon. in. 4) edidit Smithius (l. c. tab. 6—7). forma uetustior est, ad exemplar e laminis aeneis ductum conformata, corpore uentruoso ab humero non distincto. quae forma, quam calpida Gerhardus argumentis parum certis nisus uocauit, inde a sexto saeculo exeunte Athenis occurrit, a figulis qui rubris figuris pingebant primum adhibita[2]: inter hydrias antiquiores nullam

---

tum atque eisdem ornamentis decoratum. de fragmentis uero a Petrio (IHS XI tab. 14, 8, 9) editis iudicium retineo, quoniam ingentem quam ille uoluit aetatem eis tribuere dubito.

[1] in museo Britannico coniuncta nunc adseruantur: Micali Mon. in. 4—8.

[2] quae exstant calpides figuris nigris ornatae antiquissimis nouae artis exemplis uetustiores non sunt, qua re et ipsa artem illam ab Ionibus Athenienses accepisse indicatur.

noui, quae cum nostra comparari possit: nisi quod labrum fascia cinctum, ansaeque tenues, bullis minores, maior palmula et costa ornatae, eadem in hydriis Chalcidensibus apparent, ab exemplaribus aeneis scilicet deriuata. ornamenta et figurae, quae cum adcuratissime Smithius descripserit, equidem hoc loco praetermitto, coloribus indumento impositis picta sunt tribus, rubro alboque sufflauo et caeruleo, qui color ante saec. V. medium in uasis pictis ceterum non apparet. figurae extremis tantum lineis rubris pictae sunt, ita ut uiri a feminis carnis colore non distinguantur: dein lineae internae rubrae additae et uestes, animalium corpora, similia saepe coloribus tecta sunt, quibus speciose componendis et uariandis figulus operam dedit: in extremis uestibus limbos plerumque reseruauit neque alterum colorem alteri imposuit: quae omnia huic arti peculiaria sunt. lineae scalptae, exceptis perpaucis, non apparent.

2. amphora in eodem Polledrarae sepulcro eruta. Micali Mon. in. 5. forma pithi simillima est (cf. Naukratis I tab. 16, 2). collum picturis caret, humerus fasciis plexis cingitur, uenter binis animalium [1] fasciarumque plexarum zonis, dein semicirculis eodem centro descriptis et circulis lineis parallelis iunctis. scalptura adhibita non est.

3. amphora Parisina (Louvre E 660, Smith l. c. 221) prorsus similis, quae et ipsa nauem animalibus interpositam praebet: lineae scalptae nonnullae cernuntur.

4. amphora in sepulcro Caeretano una cum uasis Atticocorinthiis saec. VI. in. reperta (Bull. 1881, 159), formae a Nicosthene postea excultae; collum squamas, corpus ornamenta coloribus tribus huius classis propriis picta exhibent. in utraque ansa panthera leo tauri protome formis impressa [2] et eisdem coloribus picta sunt.

5. amphora Parisina olim Campanana (Louvre C 617: Smith l. c. 213), eiusdem formae: ansae trinis pantheris impressis atque rubro colore pictis ornantur, collum spiris duplis et orna-

---

[1] leones ibices equi cervi sphinges, cuncta dextrors. uersa, eisque interposita nauis (Torr Anc. Ships tab. 3, 12). animalium corpora uariis coloribus tecta sunt, nonnumquam punctis albis impositis.

[2] cf. amphoram eiusdem formae Vindob. 203 et supra p. 16.

mento reticulato, humerus flabellis ut uidetur dimidiatis[1], uenter et pes lineis tortis. coloris caerulei pauca uestigia cernuntur.

6. amphora Parisina (ibid. 618, Smith. l. c. 213), eiusdem formae atque originis. color caeruleus non apparet. in utraque ansa uir nudus currens et uir ad feminam uelatam conuersus impressi et rubro alboque coloribus picti sunt. collum et uenter punctis lineolis angulis acutis cinguntur.

7. amphora Caeretana eiusdem ut uidetur formae, Not. d. Sc. 1880/1 397 sic descripta: „bucchero policromo con rilievi d'animali nelle anse".

8. urceus Berolin. 1543, formae Milesiae, Oruieti repertus. tribus coloribus in uentre septem uiri et tripus picti sunt, humerus angulis rectis cingitur. lineae scalptae non apparent.

9. amphora in catalogo auctionis Sothebyano (Londin. 1885) commemorata, Rhodi, a Biliottio ut uidetur, eruta, cuius in labro coloris rubri uestigia cernuntur.

10—15. urcei sex in eodem catalogo enumerati, qui non diuersi esse uidentur a Londinensibus formae Milesiae, quos a. 1884 Rhodi erutos esse Smithius (l. c. 220) tradit[2].

16. patera formae Corinthiae (Ionicae), in sepulcro Polledrarae reperta. Micali Mon. in. 5, Smith l. c. 219, qui adcuratissime ornamenta enarrauit[3].

17—22. lecythi sex in catalogo Sothebyano enumeratae, formae angustissimae atque acuatae (catal. Berol. forma 143), anulis ornatae impressis atque rubro alboque coloribus inductis. eandem formam eademque ornamenta exhibent:

23—26. Berol. 1344 (Camiri), 1503—1505 (Polledrarae, Tarquiniis, Nolae erutae).

27. Bonnensis, e Graecia ut uidetur aduecta.

28. Mus. Gregor. II 95.

29. 30. Cornetanae duae (Not. d. Sc. 1889, 102).

31. Mannhemiensis.

---

[1] „band of vertical arrow-heads formed by punctured dots" Smith.

[2] maeandri membra, qualia in hydria exstant, et loti flores atque calyces commemorat, rubro colore alioque nunc euanido picta.

[3] rosa, quae interioris partis medium tenet, ad exemplum earum conformata est, quibus in pateris aeneis clauus, quo corpus cum pede coniungitur, tectus est.

32. uasa et fragmenta a Boehlauio Sami eruta atque in museum Cassellense delata: inter quae urceum formae Milesiae et discum exstare loti calycibus ornatos (cf. Naukratis I tab. 5, 1) Loeschckeius certiorem me fecit.

33. fragmenta Lesbi et in Ponti Euxini oris reperta, nunc Londini adseruata, in quibus loti calyces se uidisse Loeschckeius benigne mecum communicauit.

34. uasa et fragmenta Naucrati eruta et summatim descripta (Naukratis I 49. II 48): craterae et bases eis aptae, tripodes (?), paterae, disci commemorantur, nonnulla ornamentis rubris pictis atque etiam anaglyptis [1] decorata. imprimis autem inscriptionibus memorabilia sunt, quibus nisus Loeschckeius (AAnz. 1891, 18) haec uasa a Lesbiis, qui cum Samiis et Milesiis Naucratim coloniam deduxerunt, facta esse demonstrauit. cum uero totam quam enumerauimus seriem tam arctis uinculis cohaerere uideamus, ut alterum ab altero diuelli non possit, Lesbiis haec uasa omnia tribuenda esse censeo. quod si inter singula satis graues intercedunt discrepantiae, monendum est antiquissima exempla, quae sola colorem caeruleum exhibent, saeculo fere toto distare a recentioribus, in quibus pauca tantum ornamenta atque minus adcurate picta, imprimis loti calyces, occurrunt. neque ornamentis anaglyptis Naucratitis prohibemur, quominus uasa illa pulcherrima Vetuloniensia saeculo fere uetustiora, de quibus supra (p. 8 sqq.) fusius disseruimus, et ipsa Lesbi facta esse nobis fingamus. atque omnino quaecunque uasorum seriei propria sunt, cum Lesbia origine optime congruunt. inter formas praeter hydriam, urceum, pateram, quae Ionica esse uidimus, amphorae duae imprimis memorandae sunt: quarum altera ex pithi forma Ionica orta est [2], alteri praeter Nicosthenis, quem Ionem fuisse Loeschckeius (AZ 1881 35 sqq.) certissimis argumentis demonstrauit, similis exstat amphora Berolin. 1855 (Pottier BCH XVII 432) et ipsa Ionica. a Lesbiis igitur hanc formam Etrusci figuli acceperunt.

Figurae extremis tantum lineis pictae, deinde coloribus

---

[1] palmulas, spiras, ornamenta papauerum capitibus similia occurrere Loeschckeius mihi dixit.

[2] cf. pithos Naucratiticos et eos qui in cista eburnea Clusina expressi sunt.

tectae, punctis nonnumquam impositis[1] atque lineis scalptis perraro adhibitis, Ionicam pingendi rationem antiquissimam prae se ferunt, qualis et uasis Milesiis et sarcophago Clazomenio (BCH 1895,71) illustratur. inter ornamenta praeter rosas circulo inscriptas, quae in pateris Milesiis quoque nonnullis medium locum tenent, flabella imprimis memoranda sunt, quibus uasa nostra cum scalptis coniunguntur. pantherarum laruae, quae malis auerruncandis in hydria nostra iuxta ansas dispositae sunt, eaedem in hydria fortasse Corinthia (Cat. Campana II 43) occurrunt, similes in hydria Monac. 1039, classis illius Etruscae, de qua Duemmlerus (RM III 159) egit, in uagina Vettersfeldae reperta (Furtwaengler Goldf. v. V. tab. 3, 1), in laminis eburneis incertae originis (Smith l. c. 217), denique in urna tugurii simili Florentina (Not. d. Sc. 1884/5, 674) et in frontali Caroliruh. 787 (Schumacher Praen. Ciste 79). — animalia nihil singularis praebent: leo alatus et equus Ionicae artis proprii, a Corinthia fere alieni sunt. centauri vero humani capreas tenentes in ornamentis aureis Camiri erutis (Salzmann tab. 1), arbores humeris impositas gerentes in uasis formis cylindratis impressis et nigris et rubris exstant. ratio homines animalibus interponendi cum cista eburnea Clusina congruit, quae et bigas simillimas[2] et nauem cum amphorarum nostrarum 2. et 3. nauibus comparandam exhibet. cf. etiam urceum Cyprium artis Graecophoeniciae (Cesnola Cyprus tab. 45) et fibulam Boeotiam (Eph. arch. 1892 tab. 11), in qua et ipsa naui animalia addita sunt. — singularis chorus est in hydria nostra brachiis inuicem nexis expressus, qualis praeter signa antiquissima aenea Olympiae eruta (Ol. IV tab. 16, 263. p. 41—42) in una quod sciam amphora Corinthia Londinensi, quae ex Ionica arte tota pendet (Mus. Br. B 36, Passeri Pict. etr. III 228, Koerte, Festschr. f. Brunn 28[42]) apparet, cum in ceteris huius aeui operibus[3] figurae manibus

---

[1] ratio corpora punctis explendi antiquissima est: Tiryns tab. 15. 21. cf. fragmentum Naucratiticum (Naukratis I tab. 5, 44) et uascula figurata quae uulgo Corinthia dicuntur, sed tota ex Ionica arte pendent.

[2] rotae quaternorum radiorum, operibus Mycenaeis Atticis Corinthiis propriae, in Ionicis raro occurrunt, ut in amphora Milesia Eph. arch. 1892, tab. 12, in ouo struthiocamelino supra commemorato, in amphora Monac. 151 (Micali Storia 95).

[3] ut patera Idalia Perrot III 673, amphora Clitiae et Ergotimi, la-

tantum iunctis incedant. Thesei denique et Minotauri certamen quod attinet, cum lamina aurea Corinthia[1] (AZ 1884 tab. 8) in comparationem uocanda est, tum lanx rubra formis pictis impressa (AZ 1884, 107 : cf. infra p. 30), quae sola praeter hydriam Ariadnen glomum tenentem exhibet.

Vasa nostra quanti momenti sint nemo non uidet. etenim non modo huius unius saltem classis originem certis argumentis definire, sed etiam per longum temporis spatium qua ratione ars Lesbia creuerit atque degenerauerit obseruare licet: quae initio quidem (saec. VII. medio et ex.) uariis gaudebat coloribus speciose compositis, qui cum fundo uasorum nigro alternantes operum aeneorum quae intestina dicuntur, qualiaque nostrorum exemplaria fuisse censeo, speciem praebebant. mox uero, cum facilius colores illos euanescere uiderent, usu eorum magis magisque represso anaglypta ornamenta, quae et ipsa antiquitus eis nota esse uidentur, uasis imponere figuli Lesbii coeperunt: quo factum est, ut exceptis quattuor exemplis uetustissimis nullum exstet uas f i g u r i s pictis ornatum. Etruscos uero figulos speciosam illam artem imitatos esse cum per se probabile sit, tum aperte demonstratur uasis r u b r i s p i c t i s ad quae iam transeamus.

Vidimus uasa nigra Etrusca interdum quidem pictis ornamentis decorata esse, neque tamen certam artis rationem inde effici. rubrorum uero saec. VII. ex. magnam offendimus seriem, cui ornamenta geometrica picta sollemnia sunt: quae uasa ad exempla Graeca cuprea confecta esse speciose Barnabeius, qui de his quoque uasis egregie egit (Mon. ant. IV 235), coniecit. formae certo Graecae sunt, ipsa uasa Etruscae originis. atque cum eisdem temporibus et uasa rubra formis cylindratis ornata („red ware“) e Magna Graecia, et Lesbo uasa nigra picta importarentur, figuli Etrusci haec omnia ea ratione contaminauerunt, ut ab illis formas, ab his figuras atque ornamenta nonnulla (additis elementis aliunde acceptis) desumerent, atque colore albo iam noto usi uasa efficerent rubra figuris picta, quorum

---

mina aurea Corinthia (AZ 1884 tab. 8), fragm. terrae rubrae Tarentino Gaz. arch. 1881/2, 183, al.

[1] in aliis laminis cum illa olim coniunctis chorus et biga duas personas ferens expressa sunt, hydriae similia.

parua quidem, sed grauissima series seruata est[1]: exempla quae quidem nouerim, proponam:

I. pithi eis qui formas cylindratas praebent simillimi, nisi quod collo breuissimo, cui operculum ansis coronariis instructum imponitur, ansisque tribus duplis in humero dispositis praediti sunt (catal. Petrop. forma 247): exempla complura ex museo Campanano Parisios uel Petropolim delata sunt, ornamentis colore albo in argilla rubra expolita pictis: quae nunc in nonnullis cernuntur indumenta eis qui uasa fracta refecerunt debentur:

1. Petrop. 14: ex utraque parte loti flos, èis quae in uasis nigris scalptis exstant simillimus, inter leones duos linguam proicientes expressus est.

2. 3. Petrop. 16. 156: zonis binis cinguntur, quarum superior leonibus et piscibus, inferior piscibus[2] constat, dextr. conuersis.

4. Cat. Campana I 71: nr. 2. 3 simillimum, nisi quod ansis, teste Loeschckeiò, sphinges uestibus indutae (cf. supra p. 19) interpositae sunt.

5—7. Petrop. 88, 126, 127 operculis instructa et ornamentorum geometricorum zonis decem, duodecim, undecim decorata.

8. 9. Cat. Campana I 69, 70: loti florum et palmularum atque angulorum acutorum zonae.

10. operculum Vindob. 146 Masn. ansis coronariis instructum et ornamentis geometricis decoratum.

II. altera forma huic arti peculiaris cratera est ansis duabus et operculo coronario instructa, uel uno pede (nr. 1 et 6: catal. Petrop. forma 162), uel tribus quattuorue nisa:

1. Petrop. 66: A. loti flos equis alatis, B. alis carentibus duobus interpositus: flores rosae cycni supra ansis addita.

2. Mus. Gregor. II 100: leones octo dextrors. conuersi.

3. Mus. Kircher.: eisdem leonibus ornatum: quod exemplum Loeschckeius mihi indicauit.

4. Cat. Campana I 81: equus gryps aues.

5. Parisinum (Gaz. arch. 1881/2 tab. 28/9): operculum

---

[1] unus adhuc haec uasa tetigit Loeschckeius, Boreas u. Oreith. 7 [18].

[2] cf. uasa nigra et picta Etruscorum antiquissima supra p. 4.

bulla, non ansis instructum. A. nauium duarum singulari modo conformatarum pugna, mari animalibus marinis indicato: B. inter palmas duas hominem biga dextr. uectum a tergo leo adoritur. in campo loti calyx et rosa punctis ornata foliorum quattuor addita sunt.

6. Parisinum (Gaz. arch. 1881/2 tab. 32—34: Rayet-Collignon Céramique p. 37): praeter ansas manubriis duobus inter illas dispositis instructum. inter fascias plexas et ornamentum reticulatum ex altera parte Minerua ex Iouis capite orta et homines aprum adorti, ex altera leones duo inter se conuersi picti sunt. praeterea supra ansis ornamentum e flabellis et semicirculis compositum exstat, quod idem in urceo nigro scalpto Neapol. 216 cernitur: imprimis uero inscriptione Etrusca picta memorabile fit, qua totam seriem re uera Etruscae originis esse demonstratur.

Figurae ea ratione pictae sunt, ut extremis lineis colore albo ductis totae eodem colore tegerentur, reseruato limbo punctis ornato: quae ratio, quam in rudibus quoque urnis Narce erutis (p. 6) offendimus, ab aeneis exemplaribus argento uel auro obductis in uasa fictilia translata est: atque limbi quidem, quamuis punctis ornati non sint, in hydria quoque Lesbia apparent: ad Lesbia exemplaria leonem quoque, qui hominem biga uectum adgreditur, referendum esse censeo, quoniam Assyrius typus est, cum Mineruam e Iouis capite ortam et apri uenationem ex Atticis quoque uasis antiquissimis deriuatas esse posse non negauerim[1]. animalia uero, equi alati, leones linguam proicientes, sphinges uestibus indutae, cum uasis nigris scalptis et illorum exemplaribus aeneis omnino congruunt.

Mixtam igitur artem, qualem Etruscam uetustiorem fuisse consentaneum est, uasa rubra picta exhibent, elementis a Lesbiis imprimis et scalptis uasis acceptis. atque cum rubris quoque formis ornatis affinitate satis arcta ea conexa esse exemplis demonstratur, quae utriusque artis elementa contaminata praebent:

1. magna lanx Parisina[2], formae ab ea quae inter uasa

---

[1] cum pugna nauali cf. Aristonophi crateram, hydriam Etruscam Mus. Br. B 60 tab. 1 Walters, anaglypta Pisaurensia Mon. ant. V 98.

[2] Mus. Napol. 87, 2, Caere eruta.

rubra formis ornata usitatissima est, aliquanto diuersae, cum umbilico alto circulisque et pediculis quadratis quaternis praedita sit. in margine superiore et in pediculis illis equites exstant forma impressi non cylindrata, sed quadrata atque antiquissimis illis de quibus supra egimus (p. 10) simili. inferior autem lancis pars rosam octo foliorum et bacillorum zonam exhibet colore albo pictas.

2. lanx similis ut uidetur formae, Tarquiniis eruta (Not. d. Sc. 1884/5, 633) manubriis duobus pedibusque tribus unguium in speciem conformatis instructa. pedibus singulae formae impressae sunt: a) uiri duo inter se conuersi, quibus animal quoddam pertica suspensum interpositum est. b et c) centaurus humanus laeua hastam, dextra arborem tenens, ex qua animal (caprea ut uidetur) pendet. corpus equinum albo, humanum rubro colore picta sunt, addito subligaculo albo, qualia in uasis scalptis quoque centauri saepius exhibent: flores folia spirae per campum dispersa sunt.

3. lanx prorsus similis, et ipsa Tarquiniis eruta, a Furtwaenglero (AZ 1884, 107) descripta. pedum duo eisdem centauris ornati sunt, tertius Theseo Minotaurum adgresso et Ariadne glomum, ut in hydria Lesbia, tenente.

Apparet has lances a uasis rubris formis cylindratis ornatis secernenda atque cum rubris pictis coniungenda esse. cum uero et centauri et Thesei atque Ariadnae typi cum una hydria Lesbia congruant, has formas Lesbo in Etruriam delatas esse uix temere statuamus, praesertim cum formas paruulas uasis nigris impressas eidem insulae tribuendas esse suspicati simus.

Restat ut de uase dicam prorsus singulari, quod in museo Fainae comitis Oruietani adhuc latuit (nostra tab. II 3): amphora est mediae magnitudinis, forma cum Lesbiis a pitho deriuatis (nr. 2 et 3) omnino congruens, arte medium inter illas et uasa rubra locum tenens. ex argilla badia uasis quae italocorinthia dicuntur propria ficta atque bernice uix lucente, fusca, multis locis adusta atque rubicunda tota tecta est, excepta inferiore uentris parte. bernici deinde ornamenta atque figurae eodem colore albo flauescente atque eadem prorsus arte, quam uasa rubra picta exhibent, imposita sunt[1]. in labro zona

[1] quam delineandam curaui figura singularem uasis speciem parum adcurate praebet, cum picturas albas lineis nigris exprimere coacti simus.

lineolarum picta est, in collo panthera et leo, ornamento reticulato, quod in ansis quoque exstat, diuisi, in humero palmularum Phoeniciarum, in uentre animalium zona[1] fasciis plexis cincta et lineolae, deinde in inferiore uentris parte semicirculi eodem centro descripti atque bernice in fundo argillae picti. sequitur fascia bernicis, cui lineolae et puncta imposita sunt: quae omnia ad exemplar, qualia amphorae illae Lesbiae, aperte expressa sunt; atque cum arte et colore albo cum rubris pictis uas Oruietanum omnino congruat, grauissimum est uinculum, quo utraque uasorum classis coniungitur. eo uero uel grauioris momenti fit, quod figulus colorem quoque uasorum Lesbiorum imitatus non uasi rubro expolito uel indumento tecto[2], sed b e r n i c e i n d u c t o ornamenta imposuit.

Atque uasi Oruietano subiungendam esse duxi amphorarum seriem, quae et forma e pitho deriuata et ornamentis nonnullis cum illo atque cum amphoris Lesbiis congruunt, ea uero ratione ornatae sunt, ut animalium zonae tres uel quattuor bernice in argilla pictae ornamentorum zonis (fasciis plexis et squamis) diuidantur, quae in bernice scalpta sunt, coloribus rubro et albo impositis. in imo uentre et in pede bacilla exstant scalpta sursum conuersa.

Huius classis, quam unus adhuc Loeschckeius (AM XIX 511) commemorauit, praeter exempla Petropolitana (nr. 44, 51, 81) et Parisina (Cat. Campana I 83, 84) Florentinum exstat optimum; accedit Veiens a Canina (Veio 35) editum, quod a ceteris secernere minime licet, quamquam in bernicis fasciis, quibus animalium zonae diuiduntur, ornamenta scalpta non apparent. Veienti uero simillimae sunt amphorae nonnullae magnae, Romae et Corneti adseruatae, quarum unam Barnabeius (Mon.

[1] sphinges duae capitibus humanis admodum informibus, collis et alis recuruatis uirgatisque praeditae, equi duo, panthera toto corpore punctis tecta: cuncta dextr. uersa, id quod huic classi peculiare est, sicut in uasis Ionicis a Duemmlero (RM II) conlectis sinistr. animalia conuersa esse solent.

[2] cum uasis rubris coniungenda est amphora Narce eruta (Mon. ant. IV 267), quattuor ansis instructa, quae colore rubro in indumento albo pictos (quae ratio uasis ornamentis geometricis decoratis compluribus illustratur) equum exhibet cui auis insidet, et ceruum supra quo hasta uolat: at cum qui hastam uibrauerit non appareat, ex alio uase quasi excerpta haec esse uidemus.

ant. IV 275) edidit [1]. inter animalia memorandi sunt cerui atque ibices flores, leones animalium crura faucibus tenentes [2], grypes formae antiquissimae Ionicae, quorum rostra aperta bullis carent [3], equi, pantherae binae singulis capitibus praeditae (ex. Florentin. [4]: quae omnia plenis figuris picta sunt, interioribus lineis non scalptis, sed plerumque reseruatis. corpora fasciis cincta, armi sedulo indicati sunt (cf. p. 4). accedunt naues in amphora Parisina (Cat. Camp. I 84) ut in Lesbiis animalibus interpositae, denique femina alata palmulas tenens et leonibus duobus alatis sedentibus interposita [5].

Ionicae igitur originis, quam certioribus finibus circumscribere nequeo, atque cum Lesbiis affinitate quadam coniunctas has amphoras esse apparet: ab eis autem iam ad ultimos ut ita dicam catenae anulos deducimur.

V. De uasis antiquissimis bernice inductis.

Iam Mycenaea uasa primae quae dicitur bernice pingendi rationis [6] bernice inducta atque ornamentis rubris et albis decorata sunt: quae uasa in sepulcris Mycenaeis quarto et quinto effossa, ad exemplaria operis quod intestinum uocatur aperte confecta sunt, qualia pulcherrima gladii exstant figuris ornati, quos eisdem sepulcris debemus. neque tamen hanc pingendi rationem placuisse apparet, quamuis numquam eam prorsus exoleuisse fragmentis recentioribus Bonnensibus et Mycenaeis et Thorici

---

[1] cf. etiam Canina Veio 34, 7, in qua taurus capite humano et siren brachiis praedita exstare uidentur.

[2] cf. situlas Euganeas, Atlas d. Centralcom. tab. 54 et Sacken Grabf. v. Hallst. tab. 21.

[3] cf. uasa rubra formis ornata, cistam eburneam Clusinam, uasa Ionica a Duemmlero (RM II) conlecta.

[4] haec forma iam in gemmis insularibus occurrit (Perrot VI tab. 16, 20), haud raro in uasis Corinthiis (Salzmann Camirus 31, Not. d. Sc. 1888, 692, Cat. Campana II 58): cf. Duemmleri amphoras RM II tab. 9, AV 127, et situlam Euganeam (Montelius Civil. en Ital. I 55).

[5] Canino Veio 35: similes et in poculorum fulcris nigris (p. 15) et in operibus caelatis uetustissimis occurrunt, palmulis additis in ornamento pectorali Caeretano (Mus. Greg. I 82/3), ipsae alis carentes, sed leonibus interdum alatis interpositae in diademate peruetusto Vetuloniensi (Not. d. Sc. 1893, 504).

[6] Myk. Thong. VI 32. 34, Myk. Vas. pag. VII, Tiryns tab. 4, 26, 27

repertis comprobetur, donec saec. VI. in. frequentior rursus adhibita est.

Hoc enim aeuo figuli Naucratitae uetustam illam artem redintegrarunt, ita quidem, ut interiorem uasorum partem uasa nigra picta Lesbiorum imitati ornamentis rubris et albis bernici impositis decorarent, exteriorem uero, Milesios secuti, animalibus ornarent bernice in indumento albo pictis. mixtae illius artis exempla et per se probabile est in ipsa Naucrati, quo tot tamque diuersae gentes confluebant, facta esse, et inscriptionibus probatur pictis, quibus Veneri Naucratitae talia uasa nonnulla dedicantur[1]. forma huic arti peculiaris poculum est corpore paruo, labro permagno instructum, quod e paterae forma Ionica quasi excreuisse dixeris. ornamenta parti interiori sollemnia sunt loti flores et calyces, palmulae, rosae circulis plerumque inscriptae, nonnumquam melis granatis cinctae[2]. accedit eiusdem formae poculum Camiri erutum (Louvre A 330. Salzmann 38 = Mus. Napol. 12), loti floribus et calycibus ornatum: praeterea Petropoli fragmenta adseruari simillima, rosis, nonnumquam melis granatis cinctis, ornata Loeschckeius benigne mecum communicauit: quae in Ponti Euxini oris reperta sunt Mileto ut uidetur aduecta.

Vasa de quibus egimus et Mycenaea et Milesia atque Naucratitica coloribus tantum ornata sunt, scalptura carent. in ipsa uero Naucrati aliam quoque pingendi rationem deprehendimus, qua in bernice iam non picea, qualis alterius classis propria est, sed fusca ornamenta l i n e i s s c a l p t i s descripta et colore rubro cum bernice alternante tecta sunt. atque hanc quoque rationem interiori uasis parti Naucratitae reseruabant: paterae sunt globo dimidiato similes, quas in ipsa Naucrati fictas esse inscriptionibus pictis docemur, et ipsae mixtae artis exempla, cum exterior pars animalium zonas exhibeat et Milesiae et Corinthiae artis in eisdem uasis coniunctas, interior qua diximus ratione ornamentorum zonis insignita sit, bacillis scilicet, punctorum rosis, loti floribus et calycibus, denique, id quod

---

[1] tamen iam ipsos Milesios talia uasa fabricasse probabile est, quippe qui cum Lesbiis uel antequam ad Naucratim coloniam deducendam illis se adiungerent, commercio florentissimo conecterentur.

[2] Naukratis I tab. 5, 1—10, IHS tab. 79: idem ornamentum e. g. in disco qui Euphorbi dicitur (Salzmann tab. 53) cernitur.

summi momenti esse exponemus, palmulis Phoeniciis (Naukratis II tab. 8). quod uero de poculis ualere uidimus, Naucratitas rationem illam pingendi non ipsos inuenisse, sed ab alia gente traditam excoluisse, hoc idem in alteram rationem cadere uasorum serie docemur, quae Rhodi eruta atque tota eadem arte qua paterarum pars interior ornata sunt. cuius classis haec noui exempla:

1. amphora Berol. 1648, Camiri reperta, formae illius Atticae, quae figuras nigras in campis reseruatis pictas exhibet. tota bernice inducta est, exceptis fasciis quattuor angustissimis reseruatis, quibus zonae duae definiuntur loti florum et palmularum, quae deorsum conuersa atque inter se non coniuncta sunt: qualia praeterea in una quod sciam situla Daphnis reperta (Tanis II tab. 26) apparent.

2. amphora Berolinensis, Sianae Rhodiorum eruta (Alhb. I 143), eadem prorsus ratione ornata, sed formae amphoris Samiis[1] similis.

3—5. amphorae tres in catalogo auctionis Sothebyano (a. 1885) summatim descriptae[2], Berolinensibus similes.

6. patera Parisina, Camiri eruta (Louvre A 331, Salzmann 33), formae Corinthiae (Ionicae): labrum exterius linea torta ornatur, humerus zona reseruata, in qua bernice ornamenta metopis et triglyphis similia picta sunt, uenter palmularum alternantium zona Phoeniciarum similium.

7. patera Parisina (Louvre A 332, Salzmann 34), eiusdem formae atque originis: interior pars palmulis et loti floribus trinis stellae in speciem compositis ornata est, quae eadem in patera aenea Niniuitica (Layard II 58 c) cernuntur.

8. patera Berolinensis (Alhb. I 143) eiusdem formae: in labro exteriore linea torta, in humero fasciae plexae, in uentre loti florum et calycum zona Milesiis similis et bacilla ex rosa orta, qua olim, antequam pes adiungeretur, infima pars uentris ornabatur. interioris partis medium tenet rosa magna circulo inscripta (cf. p. 24[3], 26) palmulisque, quales in amphoris (nr. 1. et 2.) exstant, quattuor cincta, quae loti calyce, rosa circulo inscripta, polypo qui uocatur diuiduntur.

---

[1] quae vulgo „Fikellura“ uocantur.

[2] „purple lotos and shell patterns on brown glaze, incised outlines.“

Huic uasorum seriei alia subiungenda est, cuius exempla, in Etruria cuncta reperta, et uniuersa pingendi ratione et palmulis Phoeniciis, quibus et ipsa ornantur, cum illis congruunt. quorum duae imprimis formae occurrunt:

I. urcei utrium similes formae Corinthiae. exempla ediderunt Lauius (Griech. Vas. 5) et Genick-Furtwaengler (Keramik 34). totum uas, ex argilla sufflaua atque satis pura fictum, bernice inductum est, excepta infima uentris parte, quae radiis pictis ornatur. in collo et in ansarum rotulis punctorum rosae, in anulo plastico, quo collum cingitur, puncta colore albo picta sunt. humerus bacillis scalptis ornatur admodum longis, quae lineis alternis rubris et albis decorantur, uenter palmularum Phoeniciarum zona scalpta atque eisdem coloribus picta et semicirculorum intersectorum zona sursum conuersa[1], addita interdum alia deorsum conuersa: qui circuli nihil sunt nisi rudimenta ut ita dicam zonae e loti floribus et calycibus compositae[2]. — tales urcei haud raro in sepulcris Etruscis saec. VI. in. effodiuntur. quattuor Berolini adseruantur (1252—1255), quattuor in museo Monacensi, in Virceburgensi duo (70. 71 Url.), in Torloniae principis aedibus sex (Gsell Vulci 489), quorum duo bacilla non scalpta, sed bernice argillae illita exhibent: denique decem Florentiae uidi, quattuor in museo Fainae comitis Oruietani, quorum duo non singulas palmularum zonas, sed ternas bacillis breuibus diuisas praebent, semicirculis omissis. his autem exceptis ceteri omnes eadem prorsus ratione ornati sunt.

II. altera forma satis multis exemplis[3] illustrata patera parua est formae Rhodiis illis prorsus similis. interior pars punctorum rosis albis ornari solet, exterior palmulis Phoeniciis scalptis, labrum bacillis rudibus argillae bernice illitis.

Accedit pyxis singularis Berolin. 1158, formae Corinthiae similis (132 Furtw.), cuius et corpus et operculum eadem ratione palmulis Phoeniciis ornata sunt: quae cum in sepulcro antiquissimo Polledrarae cum uasis geometricis Italicis admodum

---

[1] centra punctis rubris et albis indicantur.

[2] cf. pateram Niniuiticam Layard II 59 A.

[3] Berol. 1172—1174, sex in Torloniae, singula in Fainae aedibus et in museo Virceburgensi, tria in Florentino exstant.

rudibus (Berol. 192—194. 1378) coniuncta fuerit, uel inde uasa nostra in Etruria facta non esse indicatur.

Praeterea simpliciora quoque exempla occurrunt, quae palmulis Phoeniciis omissis semicirculorum tantum zonis ornata sunt: quae cum et argilla atque bernice nigra subuiridi et tota arte cum illis congruant, secerni ab eis non possunt. praeter lecythos, alabastra, scyphos, urceos Milesiorum similes[1], quae rariora occurrunt, formae huius seriei propriae sunt urceus utri similis (e. g. Gsell Vulci 487 tab. II 2, Berol. 1259 al.) et amphora[2] formae singularis, cuius collum a corpore distinctum infra anulo cum humero coniungitur, medium anulo duplo cingitur, quales hoc loco in amphoris et hydriis Corinthiis recentioribus exstant; labrum incuruatum atque ansae latae fasciisque similes striata sunt, corpus uentruosum paruo pede nititur[3]. totum uas ad exemplaria e laminis aeneis ducta confectum esse apparet. et amphorae et urcei ea ratione ornati sunt, ut toti bernice inducantur, exceptis humero, in quo bacilla rudia bernice picta sunt, et infima uentris parte uacua relicta[4]. corpus duabus semicirculorum zonis sursum conuersorum cingitur, quae lineis compluribus albis et rubris diuisae sunt. praeterea ratione non minus constanti haec simpliciora uasa quam ornatiora illa et ficta et decorata sunt artemque antiquitus traditam atque a figulis satis prouectis excultam et formae uenustae atque adcuratae et ornamenta diligentissime expressa monstrant: quibus rebus mihi quidem non Etruscae officinae ea tribuenda esse probatur, quoniam Etruscos ineunte saec. VI. tam certam atque perfectam artem nondum adeptos esse uasis certo eis uindicandis confirmatur.

Neque uero figuli illi circulis et palmulis Phoeniciis contenti fuerunt: etenim in urceo Berolin. 1255, ceterum reliquis prorsus simili, zona palmularum interrumpitur uiro nudo barbaque carente,

---

1 formam u. Gsell Vulci tab. II 1: exemplum Bonnae adseruatur.

2 Florent. Vetr. I 1611. 1612, II 1614 una cum urceis palmulis ornatis Pesciae Romanae erutae: alia exempla Oruieti Corneti Romae adseruantur.

3 nostra tab. II 4, parum adcurate delineata.

4 urcei nonnumquam bacilla quoque in bernice scalpta et infimam uentris partem radiis ornatam praebent.

qui gladio serpentis bicipitis collum perfodit[1]: quae omnia arte admodum rudi atque puerili lineis scalptis in bernice expressa sunt. iam inde ad uasorum seriem adhuc satis paruam deducimur, quae bernice et ipsa inducta iam non ornamentis tantum sed figuris scalptis decorata sunt:

1. 2. urcei duo Florentini inter se compares (Vetr. II 1750. 1751), formae utris similis, in Pescia Romana uico una cum urceis palmulis Phoeniciis ornatis effossi, quibuscum et argilla et bernice omnino congruunt. descripsit Gsellius (Vulci 489). rotulae ansarum rotis quaternorum radiorum, collum punctorum rosis albis ornantur. humerus bacilla exhibet scalpta atque picta, corpus animalium zonas duas[2] lineis compluribus albis rubrisque diuisas. infima corporis pars, quae sola bernice inducta non est, radiis caret. animalia, dextr. omnia conuersa, arte admodum singulari atque rigida expressa sunt, ad exemplaria aenea scalpta aperte conformata. extremae lineae scalptae, internae uel scalptae uel, ut corporum fasciae (cf. supra p. 4), albo colore impositae, alae recuruatae colore rubro cum bernice alternante, crura externa omnia rubro, interna albo colore picta sunt, nonnumquam limbis reseruatis, ut in uasis Lesbiis factum uidimus. reliquae corporum partes coloribus carent. atque eadem ratione colores et in rosis uariati sunt et in palmula Phoenicia, qua et ipsa arctissime urcei nostri cum illis de quibus iam egimus coniunguntur.

3. amphora magna Florentina, Visentiae eruta[3], formae classis nostrae propriae, nisi quod anulus duplus in medio collo bernice inducto lineisque rubris et albis cincto deest. humerus bacillis rudibus ornatur, quae metoparum in modum aui aquatico

---

[1] nostra tab. II 2: Herculem hydram adgressum figulus exprimere studuit.

[2] nostra tab. II 5: ibices, sphinges, gryps formae singularis, alis bullaque carens, equi pantherae leones alati: accedunt ulula pantherae caudae insidens, pampini, palmula Phoenicia, rosae circulis inscriptae (cf. hydriam Lesbiam).

[3] Not. d. Sc. 1886, 310, nr. 3: in eodem sepulcro uasa reperta sunt protocorinthia, nigra Etrusca antiquissima, uascula uitro metallico inducta, neque tamen ullum uas pictum Etruscum, quod arte cum nostro comparari possit.

et quadrupede bernice illitis magis quam pictis interrumpuntur, corpus excepta infima parte uacua relicta, bernice inductum est, in qua animalia tria magna atque admodum longa dextrorsum uersa cernuntur: in parte antica leo immanis, cuius iuba alba ad caudam usque procedit, corpus alternis campis album rubrum nigrum est, pedes alternis rubri et albi: faucibus crura humana alba tenet. sub altera ansa aquila dextr. uolans expressa est, in parte postica ceruus magnus pascens, cuius externa crura alba, interna rubra sunt. animalia omnia arte minus adcurata expressa sunt, neque tamen ab urceis amphoram seiungere licet.

4. lecythus Berol. 1187 (nostra tab. II 1) formae protocorinthiae, cuius humerus et imum corpus bacillis ornata sunt rudibus bernice pictis, uenter fascia bernicis lata, in qua lineis scalptis panthera expressa est leonem, qui crura humana deuorat, adgressa et leo faucibus cibum quoddam tenens[1].

5. lecythus Mannhemiens. Cg 27, eiusdem formae atque eadem prorsus ratione ornata, in qua leones duo, quorum alter linguam proicit, et taurus sinistr. conuersi exstant: crura alternis rubra et nigra sunt.

6. lecythus Dorpati adseruata, ceteris duabus prorsus similis, de qua Loeschckeius certiorem me fecit.

Lecythi quamuis animalia exhibeant ab urceorum et amphorae animalibus satis diuersa, tamen haec cum illis coniunxi, quoniam figulos illos, qui tam adcurate uasa fingere atque ornamentis decorare scirent, figuras certa arte exprimere nondum didicisse cum ipsis animalibus, tum „Hercule“ illo urcei Berolinensis comprobatur[2]. accedit quod typo prae ceteris graui

[1] crura alternis rubra et nigra esse solent: armi spira indicati, iubae non prorsus ad caudam protensae, in campo ornamenta triangula addita sunt. color albus deest.

[2] monstra simillima arte conformata, sed bernice in argilla picta, lineis scalptis plurimis additis, alabastra exhibent nonnulla, uelut Florent. Vetr. III 1735 (sphinges), 1736 (siren), 1742 (panthera alata), Monac. 952 (= Micali Storia 74,5: ibex alatus), Monac. numero carens (auis grypis capite praeditus): denique subiungendi sunt urcei duo eiusdem formae, sed arte longe rudiore ficti, animalium zonis singulis in bernice scalptis, binis bernice in argilla pictis, coloribus non adhibitis, cincti: Parisin. (Cab. d. Méd. Milliet-Giraudon 17) et Monac. 963: quos non eidem atque nostra uasa officinae tribuendos esse censeo.

leonis crura humana deuorantis lecythus Berolinensis cum amphora Florentina conectitur: neque igitur inter se neque a uasis palmulis Phoeniciis et semicirculis decoratis illa secernenda esse censeo.

Ad originem uero totius classis inuestigandam a palmulis Phoeniciis, peculiari eius ornamento, procedendum est, quod iure ut uidetur Phoenicibus, quibus tot opera temere tribui solent, uindicatur: antiquissima sane uestigia eius in Aegypto occurrunt, ut in armilla aurea Thebana (Prisse d'Av. II 91, 14) uel arca lignea picta (Ohn. Richter Kypros tab. 89), quae XVIII. uel XIX. dynastiis tribuenda sunt: cum uero temporibus illis Aegyptios a Syris plura didicisse constet[1], cumque in monumentis illis nondum certa atque definita ornamenti forma, sed flores tantum spiraeque similem in modum composita cernantur, inde ad originem eius indagandam nihil certi lucramur. propria uero palmulae Phoeniciae forma patera exhibetur aenea (saec. IX.) Phoenicia (uel Syria) Niniue eruta (Layard II 62): cui subiungendi sunt cippi sepulcrales, qui quin Phoenicii sint dubitari nequit (Mus. Napol. 18), praeterea monumenta in Sardinia[2] atque imprimis in Cypro[3] reperta. singulae palmulae uel zonae earum in uno quod sciam opere caelato in Graecia reperto (lamina argentea Olympiae effossa Ol. IV tab. 37, 693) occurrunt, frequentissimae in exemplis antiquissimis in Etruria erutis, quae quamuis Phoenicibus abiudicanda sint, tamen plura

---

[1] atque exemplar quoque Syrium, qualia Aegyptiis praesto fuisse nobis fingamus, exhibetur lamina aenea Parisina (Mus. Napol. 21, 4), quam saec. XII. Furtwaenglerus (Roschers Lex. I 1750) tribuit: in qua palmulae Phoeniciae ut ita dicam primordia apparent.

[2] ut anulus aureus Bull. arch. Sardo 1858, 74, armilla Tharri eruta (Perrot III 835), scarabaeus (ibid. 237).

[3] et singulae palmulae occurrunt, ut columnarum capitula, in quibus palmulis loti flores addi solent (Mus. Napol. 33, Ohn. Richter Kypros tab. 58, 59), ornamenta aurea (Perrot III 835) et argentea (Ohn. Richter Kypros tab. 113, 7), et plures palmulae altera alteri arboris in speciem impositae, quales persaepe cum in anaglyptis (ut in sarcophago Amathusiaco Perrot III 608/9, in statuae fragmento Ohn. Richter tab. 91, in cippo sepulcrali Perrot III 131 cf. 133, al.) atque gemmis (Cesnola-Stern Cypern tab. 79, 1a) apparent, tum sollemnes pateris illis sunt argenteis (ut Mus. Napol. 10) uulgo Phoenicibus tributis atque fortasse in Cypro uel Creta factis (cf. cingulum argenteum AIhb. II tab. 8).

illis debent[1]: accedunt uasa rubra formis ornata (Berol. **1644**, **1645**) nigraque scalpta et ex terra mixta (Mon. ant. IV tab. 4) et ex subtili ficta[2]. — in uasis pictis raro palmulas Phoenicias deprehendimus, singulas in hydria protoattica (AIhb. II tab. 4), in zonam coniunctas in amphora Berolinensi eiusdem artis (ibid. tab. 5), arboris in speciem compositas in scypho Argiuo (AZ 1859 tab. 125), similes, sed non omnino congruentes in uasis Cypriis Graecophoeniciis (Ohn. Richter Kypros tab. 61, 74, Cesnola Cyprus 55). denique palmularum zonas in patera Naucratitica (Naukr. II tab. 8) offendimus, paulum uariatas (quae forma cum palmulis circulo inscriptis arcae Vetuloniensis et cistae Praenestinae comparanda est) in patera Rhodia supra commemorata, quarum utraque eadem atque uasa nostra ratione ornata est. accedunt uascula figurata, capita galeata Tarquiniis (Berol. **1304**) et Vetuloniae (Not. d. Sc. 1894, 347) eruta, et crus humanum atque malum granatum, quae Sami effossa in museum Cassellense Boehlauius detulit: quae omnia palmulas in bernice scalptas exhibent[3].

Iam ad originem uasorum nostrorum definiendam duo argumenta nacti sumus, alterum uasorum classes quae bernice inducta atque lineis scalptis ornata sunt omnes arctiore uinculo inter se conexas esse, quoniam omnium palmulae Phoeniciae propriae sint, alterum uasa illa ad locum quendam referenda esse commercio atque familiaritate cum Phoenicibus coniunctum. accedit quod ornamenti illius paterae Parisinae (p. 34), loti floribus et palmulis stellae in formam compositi, simillimum in patera aenea Niniuitica Phoeniciae ut uidetur originis occurrit.

Vasa igitur Rhodi reperta hac in insula facta esse quominus statuamus nihil obstat, quoniam Phoenices inde ab antiquissimis temporibus Rhodiorum commercio fructos esse et per

---

[1] scyphus Vetuloniensis, de quo supra dictum est, ornamentum aureum ibidem erutum (Not. d. Sc. 1893, 504), cista (Mon. VIII 26) situlaque Praenestinae (Archaeologia 41 tab. 6), craterae fulcrum (Mus. Greg. I 11 cf. supra p. 19), ornamentum pectorale Caeretanum (Mus. Greg. 182/3), pyxis eburnea (Mus. Greg. II 106) al.

[2] Micali Mon. in. 27, 5: arboris in speciem compositas palmulas exhibet poculi fulcrum a Bissingio Bonnam delatum.

[3] mitto opera Etrusca, ut amphoram Oruietanam cum uasis rubris coniungendam (tab. II 3) uel picturas Veientes.

se consentaneum est et monumentis ibi repertis probatur[1]. neque mirum est Naucrati, qua in colonia Rhodii plurimi habitabant, similem artem excultam esse[2].

Vltimam uero quam enumerauimus uasorum seriem, cui palmulae Phoeniciae prae ceteris peculiares sunt, in ipsa Rhodo factam non esse censeo, cum neque arte prorsus cum illis congruant, neque formis, quae Corinthiis similiores sunt; quod si in Rhodiorum colonia in Siciliam deducta, quales Gela et Agrigentum erant, uasa illa facta esse statuerimus, facillime iam omnia explicentur.

Sed antequam hanc quaestionem absoluamus, de animalibus quoque in uasis nostris expressis agendum est. atque Corinthiis quidem omnino absimilia illa esse uix opus est monere, neque quemquam fugisse opinor, cum arte nostra, quae monstris alatis imprimis gaudet, unam prae ceteris coniungendam esse, opera dico Ionica aenea supra (p. 19/20) commemorata, quae et ipsa animalibus fere omnibus alas praebent: quin etiam grypem alis carentem, qualis praeter urceum Florentinum in uno quod sciam uase Ionico occurrit[3], in armilla aurea (Mon. Ann. 1854, 112) expressum uidemus, quam craterae Caeretanae (Mus. Greg. I 11. 16) subiungendam esse censeo. ex operibus Ionicis autem aeneis, quale scyphus Vetuloniensis est, uasa nigra subtilia pendere uidimus. atque in his uasis cum equos alatos palmulasque Phoenicias offendimus, tum felici casu exemplum seruatum est uasis bernice inductis admodum simile, pateram dico Narce erutam (Mon. ant. IV 330: cf. supra p. 12), in qua et equus eadem arte scalptus est et leo crura humana faucibus tenens, qui omnibus fere lineis cum leone amphorae Florentinae congruit, necnon ulula hic palmae, in urceo Florentino pantherae caudae insidens.

Apparet igitur haec uasa eodem loco facta esse. at quae-

---

[1] certis argumentis haec uasa Rhodi facta esse comprobare nequeo. fieri potuit ut iam Lesbi uasa nigra picta bernice inductis exciperentur: neque uero de hac re quicquam statuere licet, quoniam tam ieiunam uasorum messem insula illa adhuc praebuit: cf. Koldewey Lesbos 38. 40.

[2] uascula figurata fortasse et ipsa Rhodiis tribuenda sunt, quamquam de hac re pro certo iudicare non iam licet.

[3] classis a Duemmlero (RM II) constitutae nr. 10, AV 127. cf. anaglyptum antiquissimum Vetuloniense, Not. d. Sc. 1893, 154.

siuerit quis, cur non ex ipsa Etruria utraque originem duxisse statuamus, praesertim cum leones homines deuorantes simillimi et in olla antiquissima Veiente certo Etrusca exstent, et in arte Euganea, quam Etruscis quoque notam fuisse constat, frequentes occurrant. non nego speciosa haec argumenta primo obtutu uideri. etenim in operibus illis Euganeis, quae imprimis Ateste, sed aliis quoque Italiae septentrionalis locis facta esse puto [1], monstra occurrunt nostris simillima, imprimis leones et pantherae alata, hominum uel animalium crura faucibus saepe tenentes[2], praeterea grypes alati quidem, sed ceterum nostris similes, equi interdum alati, cerui et capreae plantas ore tenentes, centauri alati[3]. sed quamuis ad exempla uetustissima Ionica artem Euganeam redire appareat, ipsa tamen quae seruata sunt opera caelata, quamquam uulgo eis aetatem nimis recentem tribui puto, saec. VI. medio antiquiora certo non sunt. uasa autem scalpta et nigra et bernice inducta, primis saec. VI. annis facta esse constat, qua re exemplaria, e quibus pendent (quale scyphus Vetuloniensis est) saec. VII. recentiora non fuisse demonstratur[4]. atque argumentis nostris hoc accedit, quod in ornamento pectorali Caeretano, situlis Euganeis quinquaginta fere annis uetustiore, leones expressi sunt plantas faucibus tenentes: qui typus aperte e leone hominem ceruoque plantam deuorante contaminatus est. apparet eiusmodi errores non nisi in arte iam diu florente et paene senescente accidere posse. quae cum ita sint, duos iam quasi riuos uidemus ex uetustissimo fonte Ionico elementis Asiaticis admixto deriuatos: quorum alter per maris

[1] exemplorum magnam copiam congessit Prosdocimius (Not. d. Sc. 1882/3, 10 sqq.), qui adcuratissime de uniuersa arte egit. cf. Zannoni Scavi della Certosa 35, Gaz. arch. 1888 tab. 12, Atlas d. Centralcomiss. tab. 53/4, Montelius Civilis. en Italie tab. 55 sqq.

[2] sella quoque in situla Bononiensi expressa leonum protomis duabus ornatur, quorum alter hominem, alter capream ut uidetur deuorat.

[3] huius typi antiquissimum exemplum exstat Atticum AM XVIII 113; accedunt Ionica, fragmentum Rhodi erutum ingentis uetustatis (Salzmann 39), uasa nigra formis cylindratis ornata, ut Annali 1877 UV, situlae Euganeae (Gaz. arch. 1888 tab. 12: alia forma Not. d. Sc. 1884/5 173 tab. 1). cf. Micali Storia 46, 17. 18.

[4] casu factum est, ut huius artis unum tantum exstet exemplum, in quo leo hominem deuorans expressus est, cista Clusina de qua supra (p. 21) egimus.

Hadriatici oras iam inde ab octauo saeculo coloniis Ionicis florentes ad Euganeos defluxit, qui artem illam uetustissimam diu inmutatam seruarunt: alterius uero riui, ab illo omnino distincti, quasi guttas esse censeo et opera illa aenea caelata atque scalpta, et quae ex illis pendent uasa nigra subtilia et uasa bernice inducta, quorum utraque eodem loco originem duxisse persuasum habeo.

Vasa bernice inducta non sine probabilitate Siciliae tribui posse uidimus. uasa nigra uero quod attinet, si non scyphos tantum atque lecythos formas protocorinthias exhibere reputaueris, sed urceos exstare[1], quorum forma, arti Siculae ex protocorinthia pendenti peculiaris, in ipsa arte protocorinthia non occurrat, praeterea cantharos ex terra nigra fictos eiusdem prorsus formae, quam scalpti exhibent, in Sicilia frequentes reperiri, facile concedes, haec quoque uasa non sine magna specie ueritatis Siciliae uindicari: qua re omnes difficultates tollantur. quod si quis artificibus Ionicis in Etruriae oppidis, Caere uel Tarquiniis, habitantibus[2] haec uasa deberi coniecerit, peregrinos illos paucis abhinc annis in Etruria degentes tam singularem atque perfectam artem adeptos esse non putauerim, qualem in coloniis Siculis iam dudum florentibus excultam esse nemo mirabitur.

---

[1] exemplum certo non Etruscae originis supra (p. 14) enumerauimus.

[2] artifices Graecos in Etruriam ineunte s. VI. migrasse cum per se probabile sit, tum confirmatur operibus nonnullis cum uasis quoque nostris affinitate quadam coniunctis, quae aduenae Ionico quam Etrusco Ionicos imitato tribuere malim: qualia sepulcrorum portae sunt Tarquinienses (Micali Storia 67, 7, Semper Stil I 435: cf. Not. d. Sc. 1880/1, 476 atque imprimis Milanium Not. d. Sc. 1892, 472) ad exemplaria caelata aperte conformatae, monstrisque alatis insignes (accedit panthera alata crus humanum deuorans in cippo Tarquiniensi nunc Florentino eadem arte sculpta), atque imprimis picturae Veientes (Canina Veio 31: cf. Caeretanas Bull. 1834, 97 et Clusinas Bull. 1875, 225 necnon ouum struthiocamelinum pictum supra p. 20), quae coloribus in corporibus cruribusque alternantibus et palmulis Phoeniciis cum uasis nostris congruunt. denique uasa quoque exstant italocorinthiis quae dicuntur ceterum prorsus similia, sed monstris imprimis alatis rudi arte pictis ornata, quae ad exemplaria classis nostrae ab Etruscis facta esse puto (Monac. 944. 960. 962. 963. 965. 1218. Virceb. 73. 75. Florent. Oruiet. Bonn.): qua re uel sola ipsam illam classem non ex Etruria oriundam esse indicatur.

Notis hisce usus sum:

Mon.	= Monumenti dell' Instituto archeologico
Ann.	= Annali " " "
Bull.	= Bulletino " " "
AM	= Athenische Mitteilungen
RM	= Römische "
AJhb.	= Archaeologisches Jahrbuch
AAnz.	= Archaeologischer Anzeiger
AD	= Antike Denkmäler
AZ	= Archaeologische Zeitung
BCH	= Bulletin de correspondance hellénique
JHS	= Journal of Hellenic Studies
Not. d. Sc.	= Notizie degli Scavi
Mon. ant.	= Monumenti antichi dei Lincei
Perrot	= Perrot-Chipiez Histoire de l'Art dans l'Antiquité
AV	= Gerhard Auserlesene Vasenbilder
Mus. Napol.	= Longpérier Musée Napoleon III.

Vita.

Natus sum Georgius Karo Venetiis anno h. s. LXXII a. d. III. Id. Ian. patre Mauritio, quem acerbo fato mihi ereptum lugeo, matre Helena e gente Kuh. fidem profiteor euangelicam. usque ad aetatis annum decimum quartum Florentiae, quam in urbem parentes se contulerant, domi elementis doctrinae imbutus sum, moderantibus studia cum aliis uiris doctis, tum Philippo Kautzmann praeceptore egregio amico fidissimo, qui plurimis beneficiis me obstrinxit. anno h. s. LXXXVI in gymnasium Friburgense receptus sum, auspiciis P. Benderi florens, cui gratum semper animum seruabo. maturitatis testimonium adeptus autumno a. h. s. LXXXX Monachium me contuli, ut studiis incumberem philologis. docuerunt me u. cl. Brunn †, Christ, Geiger, Golther, R Schoell †, Traube, Woelfflin. seminarii philologi per quater sex menses fui sodalis. praeterea ut interessem exercitationibus archaeologis Brunn, epigraphicis Schoell, philologis Traube benigne mihi concesserunt. quibus uiris omnibus, imprimis uero Traubeo et Woelfflino quantum debeam numquam obliuiscar. autumno a. h. s. LXXXXII Bonnam migraui, ubi per septies sex menses philologiae et archaeologiae operam dedi. docuerunt me u. cl. Brinkmann, Buecheler, Clemen, Elter, Gothein, Justi, Loeschcke, Nissen, Solmsen, Vsener, Wiedemann. insigni Buecheleri Elteri Vseneri beneficio in seminarium philologum receptus sum, cuius per quater sex menses sodalis fui. in seminarium historicum Nissen, in exercitationes philologas et epigraphicas Buecheler, archaeologas Loeschcke, philosophicas Elter, historicas Justi et Clemen, philologas Brinkmann qua sunt liberalitate me admiserunt. qui uiri omnes, imprimis uero Loeschckeius atque Vsenerus, quanta in me beneuolentia fuerint quantumque studiis meis semper fauerint uerbis exprimere nequeo, uita me oblitum non esse probabo.

Sententiae controuersiae.

I. Platon. Euthyd. p. 273 A propono: καὶ ἄλλοι ἅμα αὖ πολλοί, μαθηταὶ ἐμοὶ δοκεῖν: μαθηταὶ ἅμα αὖ (αὖ om. T) πολλοί BT.

II. Dionys. Sinop. II 457 K scribendus est us. 2: γυάλαι δικότυλοι, τρικότυλοι, δεῖνος μέγας (γύναι libri Athenaei XI 467 d: κοτύλαι Meineke: κύμβαι coni. Kock).

III. quae Athenaeus XI 496 e enumerat ῥέοντα nihil sunt nisi ῥυτά: utrumque nomen ab usu uasis deriuatum est.

IV. Athen. XI 502 b: βαλανωτὴ φιάλη, ἧς τῷ πυθμένι χρυσοῖ ὑπέκειντο ἀστράγαλοι. errauit Athenaeus, quoniam φιάλαι βαλανωταί paterae sunt glandibus anaglyptis ornatae (cf. Ohn. Richter Kypros tab. 198, 3).

V. Asclepiades Myrleanus libro περὶ τῆς Νεστορίδος scripto non de Nestoris tantum poculo, sed uniuerse de uasis Homericis egit.


VI. Victorias aureas, quae in Hecatompedo adseruabantur, bello Peloponnesiaco fusas (Philoch. FHG I 403) saec. IV. summa cura refectas esse censeo (CIA IV p. 77, 331 e. BCH XII 289).

VII. Tituli Bonnensis 3114 (BJ. 78, 136) extremus uersus sic legendus est: in f(ronte) p(edes) XIIX. in r(e c e s s u) p(edes) XIIX, formula Galliae Cisalpinae, unde cui titulum seruus posuit M. Petronius Flosclus oriundus fuit, propria. cf. CIL V 3500. 3562. 3863.

VIII. In Herculis scuto Hesiodeo Eris expressa omnino non erat. cf. Studniczka Serta Hartel. p. 65—6.

IX. Amphorae quae affectatae uocantur (Gsell Vulci 502. Furtwaengler Muench. Fuehrer 25) non Atticae, sed Ionicae originis sunt.

I




II

1





2




3







4



5

